Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Kaspar Finck

Synopsis Locorum Theologicorum : Ad veritatis confirmationem, Falsitatis destructionem, Theologiae initiatorum informationem, Memoriae, per se labilis, conservationem, Fideiq[ue] ac salutis aedificationem

Ienae: Steinmannus, 1620

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn805480544

Druck Freier Zugang



AC
83
276 p Ind.
Ep. 186 p
51 C. 10.
2684
F.g-3299 1-3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn805480544/phys_0002
DFG

Dedbr 219 p

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn805480544/phys_0004
DFG

SYNOPSIS LOCORUM THEOLOGICORUM,

Ad veritatis confirmationem,
Falsitatis destructionem,
Theologiæ initiatorum informationem,
Memoriæ, per se labilis, conservationem,
Fideiq; ac salutis ædificationem;

Perspicuè ac compendiosè tradita, in illustri ac præcelebri Casimiriano Saxonico, quod est Coburgi,

A

CASPARO FINCKIO GIESSENSI. SS. Th. D.
Superin. General. Pastor. Assessore ac Professore.

JENÆ
Typis & Sumtibus TOBIÆ STEINMANNI,

Anno M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn805480544/phys_0005
DFG

VIRIS

REVERENDIS,

PIA ERUDITIONE, ERUditâ, pietate, vitæq́, integritate laudatissimis.

Dn. SEBALDO Kruck / Superintendenti Heltburgensi, & cæteris ejus Ephoriæ subjectis,

Dnn. GEORGIO ROLLIO, M. BARTHOLOMÆO ZEILFELDERO Ecclesiarum Heltburgensis, M. HENRICO SCHUNCKIO Adjuncto, M. CHILIANO SCHUBART, JOHANNI SCHNETTERO, Rhotagensis: SIMONI SCHNETTERO, & JOHANNI FREITAG, Ummerstadensis: FRIDERICO SCHULTETO & JOHANNI Bartenstein / Westhausensis: M. WOLFFGANGO LATERMANNO, Gellershausensis, CASPARO DÖLERO, Streifdorfensis, CHRISTOPHORO VOLCKERO, Simmershausensis: M. MATTHÆO Scheppack, & VALENTINO Bütner Streisenhausen-

hausensis, WOLFFGANGO LANGERO, Eschhausensis, M. MICHAELI Franck / Hellingensis, CHILIANO MULNERO, Riethensis, CONRADO CAROLO, Gumperthausensis, GEORGIO Böhm, Lindenaviensis, GEORGIO CRONACHER Breitenaviensis, WILHELMO SCHNEYERO, Heltricensis, JOHANNI BESSERERO, Ottingshausensis, JOHANNI Göz / Nassachensis &c. Ministris vigilantissims, amicis ac in Christo frattribus & filiis honorandis & dilectissimis,

Salutem, benedictionem ac constantiam in fide semel tradita, ex animo precatur.

NOnfert animus, Viri reverendi, & dilectissimi, *longa ad vos uti præfatione, aut ulla Synopseos Theologicæ, quam vobis dedicavi, deprædicatione. Vos enim ipsissimi illi estis, qui me quantumvis occupatissimum, ad editionem* fasciculatam, *ut sic loquar, non semel, sed iterum atq; iterum adhortati fuistis: Vos exemplaria, quæ antè in forma patente (sic enim Typographi & Typothetæ hactenus nominare consueverunt) extabant, soli-*

solicitè conquisiviſtis, & tantum non, tanquam thesaurum, convasastis: Vos de positionibus subjectis, sub præsidio Ephori vestri, specialis, Dn. SEBALDI Kruck / amici ac in Christo fratris mei dulciſsimi, quantum per otium, quid otium? imò occupationes diurnas ac nocturnas fieri potuit, pias hactenus sententias contuliſtis, & singulis adhuc mensibus confertis. Quidni ergò nomen vestrum meis hisce præscripsero lucubratiunculis, quas initiò partim Studiosorum nostrorum in gratiam, ut in didacticis simul ac Eristicis exercerentur; partim propter me, ne memoria, (quod occupationibus & nunc hoc, nunc illo labore districtis, facilè contingit) labasceret, horis subsecivis conscripsi; non sine omnium piorum applausu, ac magno juventutis, alumnorumq; Casimirianorum fructu publicè è Cathedra, respondentibus Viris clariſsimis, doctiſsimis, ac juvenibus, qui officia ambiebant Ecclesiastica, lectiſsimis defendi? & ob tot petitiones Virorum, certè magnorum, amicorum & fautorum, jugi observantiâ colendorum, uno, eoq; portabili complexu, typis Steinmannianis exscriptas dedi?

Probabitis, ut planè confido, institutum, ac

amorem in vos meum DEUM pro incolumitate Ecclesiæ, Patriæ ac Illustrissimorum nostrorum Principum incessanter, hoc in periculosissimo discordiis Germaniæ statu, orabitis, & me, quod hactenus candidè fecistis, porrò amabitis.

Dabam Coburgi *Anno 1619. die 8. Julii* quo ipso, Anno scilicet 1415. *Johannes* Huß *Bohemus*, in Concilio Obstantiensi ad ignis supplicium damnatus, & illustrissimi Saxoniæ Duces duo, *ERNESTUS* & *ALBERTUS*, sereniſſimi Electoris, *FRIDERICI Secundi* (ἐν εὐλογίᾳ) hic duodecim, ille quatuordecim annorum filii, *Anno 1455.* trium mobilium Nobilium conspiratione media nocte ex arce Altenburgensi rapti fuêre.

Vester in Christo ad omnia pietatis & humanitatis officia paratissimus

Casp. Finckius D. Superintendens Generalis.

STU-

STUDIOSORUM, ET ALIORUM IN ILLUSTRI CASIMIRIANO SAXO-Coburgiaco publicè è Cathed. Theol. respondentium Precationes.

I.

ANTE HABENDAM DISPUTATIONEM.

OMnipotens & misericors fili DEI Domine Jesu Christe, qui unicus Magister humani generis nobis audiendus voce cœlitùs delatâ commendatus es; Qui doctrinam Evangelii ab omni humanâ ratione tacitam absconditamque, ex æterni Patris sinu protulisti, qui puer adhuc annorum duodecim disputationi colloquioque docentium te in medium inferre, tuisque divinis quæsitis, & admirandis responsis, quid de hisce congressibus sentires, evidenter ostendere es dignatus.

Te rogamus & precamur toto pectore, ut huic quoq; colloquio præses & gubernator adsis, & institutum sanctum nostrum cœlesti tua benedictione secundes.

Largire nobis, & in corda nostra effunde Spiritum sanctum tuum, cujus fulgore mentes nostræ illustratæ verbi tui salutarē doctrinam unicè cognoscant, cognitam firmo assensu amplectantur, & semel apprehensam, in corde puro illibatam semper conservent.

Sanctifica nos, quæsumus, in veritate tua, sermo tuus veritas est: Dirige linguas ac corda nostra, ut quæ nunc proponentur, non ad ullum finem alium, quàm nominis sacrosancti tui gloriam & agnitionem illustrandam unicè spectent, atq; nos hinc ad incrementum Ecclesiæ tuæ, propriamq; salutem animarum erudiamur & ædificemur, *Amen*.

II.

POST HABITAM DISPUTATIONEM.

AGimus tibi gratias, æterne & vive DEUS, *Pater Domini nostri Jesu Christi*, conditor omnium rerum, & conservator & opitulator, cum Filio tuo coæterno

Domino nostro Jesu Christo, patefacto in Jherusalem, & Spiritu sancto tuo, effuso in Apostolos, quod te patefeciſti nobis immensa bonitate certis & illustribus testimoniis, & quod condidiſti nos, & collegiſti tibi Ecclesiam perpetuam, & voluiſti Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum fieri pro nobis victimam.

Te, *Domine Jesu Chriſte*, Fili Dei vivi, crucifixe pro nobis & resuscitate, omnis generis honore, laude, & gratitudine prosequimur, quod sancto tuo sanguine redemiſti nos à potestate Satanæ & mortis, & nos contra omnes hostes defendis & conservas.

Et tibi, *Spiritus sancte*, vivificator effuse in Apostolos, agimus gratias, quod accendis lucem tuam in mentibus nostris, regis, doces, mones, & juvas nos consilio tuo, & dirigis labores vocationis nostræ. Tibi, *inquam*, trinune DEUS, agimus gratias, quod huic disputationi præfuiſti, nobisque voluntatem tuam de hoc præsenti negotio in Scripturis patefeciſti, siquidem lucerna pedum nostrorum verbum tuum est.

Te, æterne, vere, & vive DEUS, rogamus, ut oculos nostros illumines, & gressus dirigas in verbi tui semita, propter Filium tuum Jesum Christum, Dominum nostrum, & petimus, ut Spiritu tuo nos regas deinceps & in perpetuum. *Amen.*

ANAGRAMMA

Ad Reverendum admodùm & Præclarissimum Virum, Dn. CASPARUM FINCKIUM, SS. Th. D. Ecclesiarum Saxo-Coburg. Superintendentem Generalem, & Consistorii Adsessorem vigilantiss. Amicum suum pl. honorandum.

CASPARUS FINCKIUS.
FICUS N' KARUS PACIS?

Dum te Giessenâ cedentem nuper ab urbe
Coburgum *faustis excipit auspiciis,*
Flos venerande Virûm: subitò tibi publica vota
Acclamant: votis Principis aula favet.
Sicq; ajunt: KARUS FICUS N' es PACIS? ab isto
Fructu Tyrigetûm commoda terra fert?

Imò

Imò feret. Vivas longum optime & inclite FINCKI:
Floreat & tecum Curia, Templa, Scholæ!

Johannes Harpprechtus JC. &
Anteceſſor in Acad. Tubing.
Ordinarius.

ALIUD.

Qui tot libellis terrigenas juvat,
Scriptis q. doctis Euſebien ſacram,
Effert, beatus certè habendus
Præreliquis ſuper orbe homillis.
Id verò præſtas, FINCKIADES, Pii
Cor atq. cura Saxonici Ducis;
Multis libellis nam juvas nos,
Erigis Euſebiemq. lapſam.
Te nempe pennis Fama loquacibus
Ad aſtra tollit, & metuentibus
Solvi: pernnivivus audis
Quâ jugat, abjugat & caballos
Sol: perge porrò, gloria maxima,
Beate FINCKI, Franconici ſoli,
Te Saxones laudant valentes,
Tyrigetæq. ſtupent cohortes.

Georg. Mundius J. U. D.
Poëta Cor. Cæſ.

LOCUS I.
DE DEO ET THEOLOGIA.

RESPONDIT
M. ANDREAS FROMMAN,
Coburgensis, Francus.

I.

NIhil refert, sive principium sumatur in libellis institutionum Theologicarum à loco de DEO, sive Scriptura sacra. Est enim ordo duplex; alius Naturæ, alius doctrinæ. Nec valet consequentia: Deus in Scriptura dicitur primus & novissimus, *Esa. cap. 44. v. 6.* Ergò principium faciendum est à DEO.

II. Deum perfectè definiri posse negant plærique. Sed DEUM ex Scriptura perfectè definiri posse, assera-

seramus, nisi Scripturam sacram accusare velimus imperfectionis, qui error est Pontificiorum.

III. Definimus igitur DEUM cum Melanchtone ita: *Deus est essentia spiritualis, intelligens, æterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, justa, casta, misericors, benefica, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, irascens peccatis: Pater æternus qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus S. procedens à Patre & Filio, sicut patefacta, est divinitas certo verbo & testimoniis divinis, quòd Pater æternus cum Filio & Spiritu S. condiderit & conservet cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus quoad conservationem, & colligat sibi in genere humano Ecclesiam, propter Filium & per eum, & sit judex justorum & injustorum.*

IV. Adeoque imperfectam esse dicimus definitionem veterum Hebræorum: *Deus est Jehovah Elohim,*

quia

quia nulla voluntatis divinæ exprimitur mentio. Vide *Sapient. 11. v. 24. 27. Psalm. 100. v. 4. 1. Tim. 2. v. 4. Psal. 50. v. 15. Malach. 1. v. 6. Esai. 1. vers. 2. 3.*

V. Porrò, si salvi esse velimus, de Deo non est statuendum ex Philosophia & notitiis naturalibus, quas pessimè negant Photiniani contra *Psal. 19. Act. 17. Rom. 1. & 2.* Nam & has Ethnici habuerunt, & tamen Deum ignorarunt. *Gal. 4. v. 8. 1. Thess. 4. v. 5.* sed ex Doctrina distincta, quam usitatè vocamus *Theologiam*.

VI. Quæ sic nominatur ab objecto, & ab *August. libr. 8. de civit. Dei, cap. 1. p. 438.* appellatur de divinitate ratio sive sermo: θεῖ λογ☉, de Deo sermo, seu dissertio sive ratio. Hæc enim omnia est λόγ☉, ut rectè annotat *Ludovicus Vives.*

VII. A nobis ita definitur: *Theologia est doctrina de Deo, ex Scriptura sacra*

sacra ad ipsius gloriam & nostram salutem rectè agnoscendo.

VIII. *Doctrina*, inquam, ex *Deut. 33. v. 3. Proverb. 8. v. 10. Marc. 4. v. 2. & cap. 12. v. 8. Johan. 7. v. 16.* Non autem *scientia*, vel *sapientia*, vel *prudentia*, vel alius habitus Philosophicus; id quod est contra Scholasticos.

IX. Si quis autem scientiam aut sapientiam ex Scriptura appellare velit, cum eo non pugnamus, per illa quæ scripta sunt, *Luc. 1. v. 77. 1. Cor. 2. v. 7. &c.* Quid quòd doctrina nihil aliud est quàm scientia? Docere enim est rem per causas bonâ ratione demonstrare, ut asserit *Philosophus libr. a. major. Metaphys. cap. 1.* quod ipsum etiam esse scientiæ, asserit idē *lib. 2. Post. cap. 11. text. 11.*

X. Cùmq; vivendo, moriendo & damnando fiat Theologus, ut ait Lutherus *tom 2. Latin. fol. 57.* rectè sinceriſſima Theologia dicitur crux, cum Luthero *tom. 2. Latin. pag. 79.* &

pro-

professio sanctæ crucis, cum eodem *tom. 4. pag. 126.*

XI. Dionysius Areopagita & Damascenus dispescunt in *affirmativã* & *negativam*: Sed distinctionem istam restringunt tantum ad locum de DEO ejusq; attributa, quæ affirmativa sunt & negativa.

XII. Recentiores distinguunt in Positivam & Scholasticam, illam, quæ versetur in vero Scripturæ sensu explicando; hanc, quæ occupetur in quæstionibus & disputationibus; ubi si per *Scholasticam* intelligunt illam, qua multi ex pia antiquitate usi sunt, dum non solùm Rhetoricis ornamentis, sed & Philosophicis fundamentis sacram doctrinam expoliverunt, eadem ratione qua Hieronym. *in Epist. ad Tit.* scribit, Apostolum Paulum cùm diceret in Areopago argumentum orationis suæ scholastica quadam elegantia ab Atheniensibus traxisse; quo sensu etiam

venerabilis Beda *in lib. de art. metric.* Prudentium vocat nobilissimum Hispanorum Theologum Scholasticum, & olim qui aliqua doctrina clari erant, vocabantur Scholastici, *test. Gregor. libr. 10. Registri ad Anthem. & Hieron. in lib. de scriptor. Eccles.* admitti potest. Sin Theologiam Lombardi, Thomæ, &c. dicimus cum Luthero *in libr. contra Latom.* eam esse ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam, qua admissa, ut rectè dicit Melanthon, Evangelium est obscuratum & fides extincta.

XIII. Theologiæ proprium subjectum est homo peccati reus & perditus: & DEUS justificans & Salvator hominis peccatoris. Quicquid extra hoc subjectum quæritur ac disputatur, error est & venenum, *Luther. tom. 4. fol. 379.*

XIV. Deniq; rectè dicitur Theologia magna & parva, longa & brevis, & iterum concisa: *Brevis*, quoad

ad sententias & verba, sed *magna* Sacramentis, & *longa* quoad virtutem, potentiam & durationem: Vide, si libet, *August. de symbolo Apostolico, & serm. 1. de vigil. Pentecost.*

LOCUS II.

DE ESSENTIA DEI ET ATTRIBUTIS.

RESPONDIT

ANDREAS KESLERUS
Coburgensis, Francus.

I.

QVid DEUS, quid item Theologia sit, ex superiori loco cognovimus: Cùm autem in definitione Dei (quæ in hac vita imperfecta est, si Logicam ἀκρίβειαν attendas, in altera perfectissima erit, *1. Cor. 13. v. 13. 1. Joh. 3. v. 2.*) expresserimus, 1. essentiæ unitatem, 2. personarum.

Trinitatē, 3. Attributa; de his in præsentiarum articulatim est agendum.

II. Essentia ergò Dei (quæ non est corporalis, *contra Anthropomorphitas*) una est, *Deuter. 6. v. 1. 1. Tim. 2. v. 5.* (*contra Ethnicos, qui δῆμον θεῶν*, teste Nazianzeno, *in serm. de natal. Augustino l. 3. 6. & 7. de civit. DEI. 2. Valentinum, 3. Marcionem, 4. Tritheitas, 5. Pontificios &c.* qui plures Deos finxerunt) hoc est, Deus *unus* est: *unus*, non genere, non specie, (Vide Augustin. *l. 6. de Trinit. c. 1.* Cyrillum Alexandrinum *l. 11. in Johan. c. 20.*) non voluntate tantùm, sed & Essentia & Numero, *Deuter. 4. v. 35. Esa. 44. v. 6. 1. Corinth. 8. v. 4. Joh. 10. v. 30. & seq. 1. Joh. 5. v. 7. &c.* Unus, inquam, numero negativè, non affirmativè, vide Basilium *epist. 141.* & Thomam *libr. 1. contra gentes cap. 42.* Lactantium *lib. 1. divin. Institution. cap. 3.*

III. In hac *una* atque indivisa Essen-

Essentia, sunt tres personæ: *Pater*, *Filius & Spiritus sanctus*, *1. Johan. 5. v. 7. Matth. 3. v. 16. & 17. & c. 28. v. 19. Marc. 1. v. 10. 11. Luc. 3. v. 21. 22. Joh. 5. v. 32. & c. 8. v. 17. & c. 14. v. 16. & ç.* (contra *Praxeanos*, *Sabellianos*, *Noëtianos*, *Servetianos*, *Antitrinitarios*, *Eunomianos*, & novos Diaboli filios, *Photinianos*) quæ personæ sunt 1. ὁμοούσιοι. 2. sic ordine recensentur, non quòd dignitate, vel tempore una antecedat alteram, sed quia sic se sacratissima Trinitas manifestavit, quæ quo ordine erga seipsam se habeat, sola novit, ut tradit Nazianzenus *orat. de reconciliat. Monach.* Et 3. distinguuntur, tum *ad intra*; ut Pater à nullo sit, Filius à Patre genitus sit & ab utroq; (contra Græcos) Spiritus sanctus procedat: tum *ad extra*, ut Pater sit *Creator*, Filius *Redemtor*, Spiritus sanctus *Sanctificator*: ubi notanda est observatio Beati Lutheri; *Si absolutè considerentur opera ex-*

terna, tribuuntur toti Trinitati, sine discrimine: Sin relatè, consideranda est cujusq; personæ proprietas, & quo ordine personæ agant. 4. distinguuntur, dico, verè & realiter, non essentialiter, non rationaliter, ut ita loquar, non modaliter, contra Keckermannum *in systemate Theologico pag. 17. 59. 79.* & Sohnium *in exeges. A. C. p. 86. 164.*

IV. Atque hæc de DEO in Unitate Trino, & Trinitate Uno, ut Athanas. *in Symbolo* loquitur, Doctrina, Ecclesiæ propria, at intellectu facilis non est, ut somniarunt *Trihteita*. Non enim possum, inquit Nazianzenus *in serm. de Baptism.* duo cogitare, quin trium fulgore mox circumfundar. Nec tria possum discernere, quin subitò ad unum referar: deq; ea sanè loquendum, sobriè sentiendum, & piè credendum est: liberis verbis, inquit Augustinus *l. 10. de C. D. c. 23.* utuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis reli-

religiosarum aurium non timent offensionem; nobis autem ad certam regulam loqui fas est. Perpetua ergò hìc opus cautela, & modestia, cùm nec alibi periculosiùs erretur, nec laboriosiùs aliquid quæratur, nec fructuosiùs aliquid inveniatur, ut iterum Augustin. *l. 1. de Trin. c. 3.* & ex eo Lombard. *l. 4. sent. dist. 13.* Cognoscendus igitur est DEUS, non ex prædicamento substantiæ, sed relationis, ut piè monuit Luth.

V. Attributa Dei sunt essentialia, & distinguuntur, docendi causa, in incommunicabilia, ut sunt, absolutissima *Simplicitas & Infinitas*, adeoque etiam *Immensitas* (quam negant omnes illi Calviniani, qui Deum, ut Athanasii verbis utar, in mysteriis volunt γεωμετρεῖν) & *Æternitas*: Et communicabilia, ut sunt, *Sapientia*, *Potentia*, *Veritas*, *Bonitas*, *Justitia*, *Castitas*, *Misericordia*, *Beneficentia*, *libera Voluntas*, &c. quæ de DEO rectiùs

prædicantur in abstracto quàm concerto, (*vid. Scalig. exerc. ult. sect. 6.*) & in Deo nativa sunt, quod impiè negat Socinus *part. 1. de Christo pag. 9.*

VI. Contra Dei *Potentiam* pugnãt emblemata Calvinistarum, dicentium, *Deum omni suâ potentiâ efficere non posse, ut unum corpus sit in pluribus locis*: contra Justitiam, Bonitatem, & Misericordiam, absolutum illud decretum, quod ipse *Calvinus* horrendum appellat; & *ad extremum*, contra omnia attributa pugnant Atheismi Conradi Vorstii sequentes, quos inculcat *in tractatu suo de Deo*: 1. Deus non est actu simpliciter infinitus, neq; essendo, neq; operando, *p. 234.* item, Est quidem Deus purus actus, sed hoc non vetat, quin simul in sese sit finitus *p. 235.* 2. In Scripturis affirmari omninò videtur, Deũ ratione substantiæ suæ tantùm esse in cœlo, *p. 235.* 3. quòd scribit, & in Deo esse accidentia quædã ab ipsius substan-

stantia longè diversa, *pag.* 207. Reliquos hîc recensere horresco.

LOCUS III.

DE SCRIPTURA SACRA.

RESONDIT

PHILIPPUS GVALTHERUS SEIDENBECHERUS Hammelburgensis, Francus.

I.

ARticulum *de Deo* rectè sequitur Locus *de Scriptura sacra*, quam ita definimus: *Scriptura sacra est Verbum Dei immediato afflatu Spiritus S. à sanctis Dei hominibus, hoc est, Prophetis, Evangelistis, & Apostolis, literis consignatum, ut perfectus reddatur homo DEI, ad omne opus bonum perfectè instructus, ut credat, & credens vitam habeat æternam.*

II. *Scriptura* dicitur, quia id est

quod scribitur; eaq; appellatione non intelligimus formale, sed materiale, hoc est, non opus scribendi, sed inprimis id quod scribendo significatur: Non putemus, inquit Hieronymus, in verbis Scripturæ esse Evangelium, sed in sensu, non in verborum foliis, sed in radice rationis: *Sacra* dicitur. 1. à causa efficiente. *2. Petr. 1. v. ult.* 2. à fine, quia homines sanctificat. 3. à subjecto, quia sacra tractat.

III. Definitur *Verbum* Dei, non illud ἐνδιαθετικὸν *Johan. 1. v. 14.* quod ex mente Patris prodiit, ut loquitur Basilius, & non est λαλέας ἐνανθρωφώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεικῆς ἰδία γενητὴ, sed προφορικὸν; *Verbum*, inquam, *Dei*: qui in Scripturis loquitur. Quid enim est Scriptura sacra nisi quædã Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? in qua verba DEI sonant, & cor Dei discitur? ut inquit Gregorius *in Epistola*.

IV. *For-*

IV. *Forma* Scripturæ sacræ in eo est, quod immediato Spiritus sancti afflatu, verbum illud literis consignatum est, *2. Pet. 1. v. uit. Matth. 1. v. 22. 22. vers. 43. 2. Sam. 23. v. 3.* per amanuenses fidelissimos, Prophetas in Veteri, Evangelistas, & Apostolos in Novo Testamento.

V. Undè rectè tota Scriptura dividitur in libros Veteris, & Novi Testamenti. Illi, continent, juxta Christi partitionem, *Luc. 24. v. 45.* Legem Mosis; hoc est, totum Pentateuchũ: Prophetas; hoc est, Josuam, Ruth. Lib. Judicum, 2. Samuelis. 2. Reg. 2. Paralipom. Esd. Esther, Hiob, 4. majores & 12. minores Prophetas: & Psalmos, hoc est, Psalterium Davidis, Proverb. Ecclesiast. & Cantica Canticorum: Hi, complectuntur Evangelium Matth. Marc. Luc. & Johannis, Acta, tredecim Epistolas Pauli, unam Petri & unam Johannis: Atq; hi libri omnes & singuli sunt & dicun-

cuntur Canonici, quia sunt Canon, &, ut Athanasius vocat *in synops.* anchoræ & sustentacula fidei Catholicæ: Vide *Deut. 4. v. 2. & 12. v. 32. Esai. 8. v. 20. Gal. 6. v. 16. 1. Timoth. 6. v. 3. Philipp. 3. v. 6.*

VI. Denique *finis* & *effectus* Scripturæ S. in definitione nostra exprimitur, *ex Johan. 20. v. ult. 2. Timoth. 3. v. 15. 16. 17. Roman. 1. v. 16. & 10. v. 17. Hebr. 4. v. 12.*

VII. Ex his omnibus, cùm veritatis luce radient, colligimus *I.* Scripturam sacram esse perfectissimam, hoc est, continere omnia quæ ad salutem nostram sunt necessaria, *ex 2. Tim. 3. v. 15. 16. Johannis 15. v. 15. & 20. v. 31. Actor. 20. v. 26.* id quod est contra Pontificios, varias contra mandatum Dei, ei traditiones assuentes, & non nisi admissâ traditione stare Trinitatem asserentes.

VIII. *II.* Scripturam sacram esse lucidissimam, ex *Ps. 119. v. 105. 19. v. 9. Pro-*

9. *Proverb. 6. v. 23. 2. Pet. 1. v. 19.* contra Pontificios eam obscuritatis accusantes, eam errores, & tenebras, Evangelium nigrum, Theologiam atramentariã &c. impiè vocitantes.

IX. *III.* Scripturam sacram esse normam ac judicem omnium controversiarum Theologicarum fundamentum & columnã fidei nostræ, ut illam appellat Irenæus *lib. 3. cap. 1.* Vide *Psalm. 19. v. 5. Esa. 8. v. 20. Luc. 16. v. 29. & 31. Deut. 4. v. 2. & 12. v. 32. 1. Tim. 6. v. 3. Galat. 6. v. 16. Ephes. 2. v. 20.* iterum contra Pontificios, per calumniam nos nominantes, Scripturarios, Schrifftler / Wortskrecht/ &c. garrientes, nullam hæresium ex Scriptura sufficienter esse refutatam. Vide blasphemias Jesuitarum *in Colloquio Ratisbonensi.* Ubicunq; Scripturas non interpretor, sed liberè de meo sensu loquor, arguat me quilibet, *inquit Hieronymus contra Jovianum.*

X. *IV.*

X. *IV.* Scripturæ lectionem & Laicis esse concessam. Quando enim Romanenses illam Laicis & secularibus denegant, hoc agunt, ut gladio Spiritus *Ephes. 6. v. 17.* tentatos & quassatos privent, & arma tum offensiva tum defensiva contra Satanam eis è manibus excutiant: Audite verò obsecro seculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ Pharmaca, si nihil aliud vultis vel Novum Testamentum acquirite, ut piè monet Chrysostomus *homil. 9. ad Coloss.*

XI. *V.* Scripturam sacram non esse literam mortuam, ut delirant Schwenckfeldiani: quibus omni jure nos accensemus tum Pontificios, qui scripserunt, Deum nolle à chartaceis Scriptis Ecclesiam suam pendere. Item Scripturæ nihil inesse divinitatis, ut impuro ore despumavit Costerus *in Enchirid.* & Andradius *libr. 3. defens. Concilii Tridentini.* Et rursus Scripturæ lectionem non utilem,

lem, sed multis modis pernicioſam eſſe Eccleſiæ, *Cenſur. Colonienſ. fol. 21.* tum Calviniſtas, qui 1. verba Cœnæ vocant verba nuda, nimis ſicca, ut Cinglius *in lib. de ver. & falſa relig. fol. 243.* verba miſera, ut Petrus Martyr *in Dialog. contra Brent. fol. 127.* 2. qui ſcribunt, verba inſtitutionis Cœnæ eſſe κρινόμενον, ideò ex illis non poſſe peti argumenta pro vera & reali corporis Chriſti præſentia, ut Pezelius & alii. 3. qui agnoſcunt in ſcriptis Biblicis non obſervatas leges & normas Grammaticas, dictiones &c. ut Goclenius *part. 3. Analect. p. 109. & ſeqq.* 4. qui in verbis inſtitutionis Cœnæ & Baptiſmi dicunt eſſe ſoloœciſmum, ut Beza, & Neo-Marpurgenſes. 5. qui condunt abſolutum decretum; quod cùm funiculus ſit deſperationis, pugnat cum ſine Scripturæ ſacræ, quam exprimit Paulus *Roman. 15. verſ. 14.*

LOCUS

LOCUS IV.

DE CREATIONE.

RESPONDIT
JOHANNES EICHHORN,
Eisfeldensis, Francus.

1.

CUm DEUS cognoscatur ex Scriptura & operibus suis, recto ordine in hac *quarta* Disputatione agimus de *Creatione*, quæ est actio DEI liberrima, *Genes. 1. v. 1. Ps. 124. v. 8. Jerem. 10. v. 11. & 32. v. 17.* Patris, *1. Corinth. 8. v. 6.* Filii, *Joh. 1. v. 3. Col. 1. v. 16. Hebr. 1. v. 2. Gen. 1. Psal. 33. v. 6.* Spiritus sancti, *Gen. 1. v. 2. Ps. 33. v. 6. & 104. v. 30.* Optima, *Gen. 1. v. 31.* utpote ex qua Deus agnoscitur, *Roman. 1. v. 20.* & colitur, *Act. 17. v. 23. & seq.* Actio, *inquam*, sive productio rerum omnium, *Joh. 1. Col. 1. Gen. 1.* Ex nihilo, *Esa. 41. v. 24.* Pro-

24. Proverb. 8. v. 24. Roman. 4. v. 17. Hebr. 11. v. 3. 2. Maccab. 7. v. 28.

II. Ubi notandum *Creationis* vocabulum quatuor potissimùm accipi modis; primò, ut est apud subtilissimum Scaligerum, *exerc. 16. sect. 13.* pro mutatione contradictoria, hoc est, *constitutione substantiæ ex nihilo.* 2. pro productione materiæ (sic ex usu dictæ, & tamen prorsus inhabili): cujusmodi erit resuscitatio corporum in die novissimo. 3. pro mutatione in melius, ut *Psal. 51. v. 12. Jerem. 31. v. 22.* 4. pro *gignere*, apud Ciceronem & alios, ut notat Justinus *in orat. ad gentiles.*

Πορίσματα.

III. Hinc *colligimus 1.* quòd *Creatio* sit opus ad extra, adeoq; toti Trinitati propter essentiæ unitatem, & personarum æqualitatem, indivisũ: & quòd Filius verus Deus, (contra *Photinianos:*) Spiritus, item, sanctus,

verus DEUS sit, (contra *Macedonianos.*) Nam de *Patris* Deitate quis unquam dubitavit? Negant quidem Photiniani Patrem per Filium in Spiritu sancto omnia creasse, & Christum omnia conservare, sed contra Scripturam S. *Genes. 1. v. 2. Psal. 33. v. 6. Johan. 1. v. 3. Proverb. 8. v. 22. & seqq. Col. 1. v. 16. 17. Hebr. 1. v. 2. 3.*

IV. Collgimus *II.* Filium non fuisse instrumentum Dei in creatione, quale usurpat faber, hoc est, omnia creasse Patrem per Filium, non ut per instrumentum servile, sed ut per virtutem naturalem & substantialem, ut rectissimè Damascenus *l. 1. c. 9.* Nec enim hæ propositiones ἀπὸ, διὰ, ἐν, (loquor cũ Nazianzeno) naturam dividunt, sed unius & inconfusæ naturæ proprietates exprimunt.

V. Colligimus *III.* DEUM non esse autorem peccati, & impiè scripsisse Zinglium *(in Epist ad Philippum Hes-*

Hassiæ Landgravium) Deum esse causam peccati & vitiorum, ita ut aliquos creavit ad peccandum, eosque impellat: Confer *Bezam in refut. secundæ calumn. Castol. Aphor. 3.* Concedimus sanè mala etiam esse à DEO, sed mala punitoria, non peccatoria, ut vocat Tertullianus.

VI. Colligimus *IV.* evanidas esse & ne cassa quidem nuce dignas has, quas recenset Gregorius de Valentia, *tom. 1. fol. 1012.* Papicolarum ratiunculas: 1. Creatura concurrit instrumentaliter ad consecrationem hostiæ. Ergò etiam potest concurrere ad creationem. Non enim hoc videtur plus esse quàm illud: 2. Creatura potest concurrere instrumentaliter ad annihilationem; immò videtur ad eam concurrere in consecratione, per quam omninò desint esse substantia panis. Ergò etiam posset ad creationem. 3. Homo concurrit instrumentaliter ad gratiæ

productionem, ut patet in ministerio baptismi & aliorum Sacramentorum. Sed gratia creatur; Ergò &c. O impietates! *Vide etiam Magistrum sententiarum in 4. dist. 5. Thom. eadem dist. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncul. 3. ad 4. & in 2. dist. 1. quæst. unic. artic. 3.* Quid quod ne Angeli quidem dici possunt sive creatores sive concreatores, vel ex loco *Gen. 1. v. 26.* contra Judæos, Simonianos, Nicolaitis &c.

VII. Colligimus *V.* mundum non extitisse ab æterno contra Aristotelem, neq; in æternum esse mansurũ, sed interiturum, non quidem secundum vitiosas qualitates, ut statuunt plærique Calvinistarum, sed secundum substantiam, quod scriptores sacri ferè omnes affirmant.

IIX. Colligimus *VI.* mundum nec in vere, nec in æstate, nec in autumno, nec in hyeme fuisse creatũ, sed in principio, *Genes. 1. v. 1.* & in non-tempore.

IX. Col-

IX. Colligimus *VII.* Aristotelem stantibus suis principiis non potuisse statuere mundi æternitatem, contra Scaligerum *exerc. 61. sect. 3.* Nec obstat liber Aristotelis de mundo, cùm de autore dubitetur, & liber iste à plerisque Philoni asscribatur.

X. Colligimus *IIX.* falsissimum esse, quod dicunt Judæi, se credere in Deum factorem cœli & terræ, quia non credunt in Filium ejus unigenitum.

XI. Colligimus *IX.* cum articulo creationis è diametro pugnare opinionem Matthiæ Flacii Illyrici, peccatum originis ipsam substantiam hominis esse propugnantis: ubi ad imum quoq; orcum damnamus errores Manichæorum, Marcionitarum, Albigensium, Epicureorũ &c.

XII. Tandem de *Creati* Mundi duratione quid statuendum? Judæi gloriantur de traditione domus Eliæ, quæ sic habeat: *Sex millia an-*

norum erit mundus: duo millia annorum ante legem; duo millia sub lege; duo millia post legem, & postea finis; sed Chronologia fallit, & tota res pugnat cum illo Christi *Act. 1. v. 7. Marc. 13. v. 32.*

XIII. Quod supereſt, Deo, *qui in seipso est ut* A & Ω, *in mundo ut rector & autor, in Ecclesia ut paterfamiliâs in domo, in anima, ut Sponsus in Thalamo, in sanctis ut adjutor & protector, in reprobis ut pavor & horror*, sit Laus, Honor, Imperium & Benedictio in secula nunquam finienda.

LOCUS V.

DE PROVIDENTIA.

RESPONDIT

M. JOHANNES MATTHÆUS MEYFARTUS, Waltershusanus, Thuringus. Phil. Fault. Jenens. Adjunctus.

I.

DEUM omnia sive visibilia sive invisibilia ex nihilo creasse, superiori

riori loco probatum dedimus; an verò res creatas, sive minimas, sive maximas, non respicit, sed despicit? Minimè omnium: Est enim providentia. *Ps. 36. v. 7. 113. v. 5. Prov. 16. v. 9. Sap. 6. v. 8. Joh. 5. v. 17. Act. 17. v. 25. 28. Coloss. 1. v. 17. Hebr. 1. v. 3.* Negat illam impius, *Psal. 14. v. 1. & 10. vers. 5.* sed stultè, *Psalm. 94. v. 8. & seqq.*

II. *Est* igitur *Providentia Dei immutabilis & perpetua omnium rerum dispositio & gubernatio:* Dei omnia scientis, videntis, curantis, administrantis, bona promoventis, mala permittentis, punientis, & ex iis bonum elicientis: Eaque propter Præscientia & Providentia DEI unum non sunt, nec præscire de Deo propriè dicitur.

III. Itaque objecta Providentiæ sunt, non tantùm superiora, ut, notante Cyrillo Hierosolomitano *Catech. 8*, nonnulli somniarunt; sed &

omnia inferiora, *Pſ. 119. v. 89. Hiob. 28. v. 25. Sapient. 8. v. 1. Hebr. 1. v. 3.* omnia animalia, *Gen. 1. v. 29. Hiob. 39. v. 7. Pſal. 147. v. 9. & 36. v. 6.* etiam ingrati corvi, *Pſ. 147. v. 9.* minutiſſimæ volucres, *Matth. 6. v. 26.* contemptiſſimi paſſeres, *Matth. 10. v. 29.* qui vix dupondio veneũt, *Luc. 12. v. 6.* vix annum, ut putat Plinius, aut ad ſummum, triennium, ut diſputat ſubtilitatis aliger, Scaliger: nec obſtat hîc locus Paulinus *1. Corinth. 9. v. 9.* Primarium enim objectum eſt homo, *Act. 17. v. 25. 28. Hiob. 10. v. 8. Pſ. 139. v. 1. Matth 6. v. 17. 25. Matth. 10. v. 30. &c.* & quam præ omnibus curat DEUS, *Eccleſia*, & pii in individuo, *Deut. 32. v. 9. Pſal. 77. v. 21. 91. v. 11. 1. Timoth. 4. v. 10.* qua de cauſa Providentia rectè diſpeſcitur in Univerſalem & ſpecialem: & quanquam Deus peccati author nullatenus ſit, id tamen ab ipſo gubernari dicimus.

IV. Ita dicimus & hæc: Providentiæ

tiæ divinæ etiam subjici ἐνδεχόμενα, quæ nobis videntur fortuita, ex *Gen. 45. v. 8. & 50. v. 20. Luc. 22. v. 18.* ubi, simul ad quæstionem, quam movet Anastasius Episcopus Nicenus *quæst. 18.* an Christianis liceat confiteri fortunam, respondemus negativè, & tamen cum Thoma concedimus aliquid posse dici causale & fortuitum, nempe respectu causæ particularis, non universalis.

V. His ita se habentibus, Providentiæ divinæ subjicimus etiam 1. Conjugia, quæ rectè dicuntur fatalia, licet verum sit, bonos viros nonnunquam uxores nanciscimalas, & malos bonas. 2. terminum vitæ humanæ. 3. mortem ipsam, quæ quidem necessaria est, ita tamen, ut duo illi æternitatis Candidati, quos vocat Tertullianus, eam, neque aliquid ἀνάλογον ei viderint, (contra communem sententiam) neq; ipsa mors homini ante lapsum naturalis fue-

rit, (contra Bellarm. *l. 1. de grat. primi hominis cap. 6.*) 4. imò & mortem violentam, & cædes, quas vocant, fortuitas: ubi tamen vehementer improbamus locutiones vulgi: Sein Todt iſt jhm alſo beſchert: Er iſt darzu verſehen geweſen: Es hat ſo ſeyn müſſen/ꝛc.

VI. Quanquam enim, ut DEUS ipſe, ita etiam providentia ſit immutabilis, *Malach. 3. v. 6. Jacob. 1. v. 17. Prov. 19. v. 21. Eſai. 46. v. 10.* eſt tamen, ut Auguſtinus loquitur *Epiſt. 5. ad Marcel. Tom 2.* immutabilis mutabilium, ſicut creator ita moderator: adeoq; in ſpeciali ſua providentia communem ordinem nonnunquã immutat: *Non* enim (ut dulciſſimis Melanth. verbis utatur)

Deus eſt numen Parcarum carcere clauſum,
Quale putabatur Stoicus eſſe Deus.
Ille poteſt Solis curru inhibere volantes, Joſ. 10.
Ille velut ſcopulos flumina ſtare jubet. Ex. 14.

VII. Quod cùm ita ſit, errant *I.* omnes

omnes illi Calviniani, qui DEUM causis secundis alligant, Christum, ob proprietates humani corporis secundum humanã naturam omnipræsentem esse negant: Errant *II.* qui negant Eclipsin sive deliquium Solis tempore passionis Christi fuisse tum prodigiosum, miraculosum, & supernaturale; tùm universale, & statuunt illud tantùm in terra Judaica fuisse conspectum. Errant *III.* qui negant Contingentiã, & omnia necessariò fieri putant. Errant *IV.* Stoici, qui omnia dicunt fieri fato, *teste Cicerone.* Errant *V.* Epicurei, omnia fortuitò fieri contendentes. Errant *VI.* Cardanus, qui Christi nativitatem ex astris judicat. Errant *VII.* Astrologi judiciarii, qui ex positu syderum matrimonia, liberos, terminum vitæ, lapsus ex alto &c. prædicare præsumunt. Errant *IIX.* Chiromantici, qui ex lineis in manibus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn805480544/phys_0047
DFG

bus nunc hoc nunc illud vaticinamur, scilicet!

IIX. Deniq, Dei Providentia, inquit Hugo de sancto Victore *in lib. de Sacram. c. 19.* ubiq; operatur in suo & alienô: in suo, quod fecit, in alienô quod permisit. Qui verò sunt modi illius permissionis: Videris Damascenum *libr. 2. de orth. fide cap. 31.* ex Episcopo Nemesio septem recitantem.

IX. At quæ causæ sunt permissionis? Ostensio 1. divinæ perfectionis & immutabilitatis. 2. Sapientiæ & potentiæ. 3. Clementiæ & misericordiæ. 4. Justitiæ. 5. Probationes bonorum per malos. 6. quòd Deus creaturas, & imprimis hominem in manu consilii sui relictum *Eccl. 15. v. 14.* ita administret, ut eas proprios motus exercere sinat. 7. quòd ex malis bonum elicere, illudq; ad bonum finem determinare possit. 8. & sic, quam-

quamvis peccata non velit, ea tamen permittat volens &c.

X. Pontificii permissionem faciunt duplicem, alteram impunitatis, quando Deus ad tempus meritas differt pœnas inferre, aliâs graviter in eos animadversurus, nisi sese emendaverint: alteram approbationis, cùm fiunt aliqua bona legibus non præcepta ceu sint actus consiliorum Evangelicorum, & pia vota, vide *Lorich. in thesaur. tom. 2. fol. 1566.* Prius membrum acceptamus, posterius repudiamus, quandoquidem permissio Consiliorum Evangelicorum, & piorum votorum, quæ finguntur in Scriptura sacra fundamentum nullum habent.

Gloria sit soli, qui regit astra, Deo.

LOCUS

LOCUS VI.

DE ANGELIS.

RESPONDIT

M. PHILIPPUS Eschenbach / Coburgensis, Francus.

I.

JAM agendum est de Angelis: Angelus officii nomen est, non naturæ, dicunt Tertullian. *in lib. de carne Christi*, Ambrosius *in cap. 1. Epistol. Hebr.* Augustin. *super Psal. 113.* & latinè idem est quod nuncius, notante eod. Augustin. *libr. 5. supra Genes. ad literam cap. 19.* sicut & Hebræum Malach; quod Angeli, sive nuncii nomen tribuitur etiam Sacerdoti, *Malach. 2. vers. 7.* Johanni Baptistæ, *Malach. 3. v. 1.* Doctoribus Ecclesiæ, *Apocal. 2. v. 1.* imò ipsi Filio Dei, *Gen. 48. vers. 16.* quem, ut Prudentius canit, colluctantis tractarunt brachia Jacob,

Jacob, *Genes. 32. v. 24. 28. Ose. 12. v. 4.* contra Jesuit. Pererium.

II. Angeli sunt spiritus, (ex *Luc. 24. vers. 39. Hebr. 1. v. ult. & 12. v. 9. Ephes. 6. v. 12.* creati, (ex *Psal. 148. v. 2. Coloss. 1. vers. 16.*) intelligens & sapiens, (ex *2. Samuel. c. 14. v. 20.*) boni & justi, (ex *1. Samuel. cap. 29. v. 9.*) potentes virtute, *Psal. 103. v. 20.* & faciunt officium respectu DEI & hominum.

III. Id quod *Dei* respectu consistit in ὑμνωδίᾳ καὶ λειθουργίᾳ unde à Nazianzeno *in oration. de pasch.* vocantur ἐπαινέται μεγαλουργίας, καὶ Διαπρύσιοι κήρυκες, (ex *Psal. 103. 20. 21.*) & in Scriptura plerunque describuntur stantes, ut *Esa. 6. v. 2. Daniel. 7. v. 10. Apoc. 7. v. 9.* quia semper promti sunt atq; alacres ad exequendum mandata Dei: Stare enim coram aliquo, in Scriptura est ministrare, *Judic. 20. v. 28. Genes. 41. v. 46. Num. 3. v. 6. 1. Reg. 16. v. 21. Psal. 135. v. 2. Daniel. 1. v. 5.*

Et

Et *hominum* respectu, quibus ministrant, *Hebr. 1. v. 14. Psalm. 34. v. 8.* in omnibus tribus Hierarchiis.

IV. Ecclesiastica, *1. Petr. 1. v. 12. Ephes. 3. v. 10. Galat. 3. v. 19. Dan. 9. v. 24. Luc. 1. v. 31. & 2. v. 9. & 22. v. 43. Marc. 16. v. 5. Actor. 1. v. 10. 1. Cor. 11. v. 10. 2. Reg. 6. v. 17. Epist. Jud. v. 9.* Politica, *Dan. 10. v. 13. 2. Reg. 19. v. 35. Esai. 37. v. 36. Daniel. 6. v. 22.* & Oeconomica, *Genes. 24. v. 7. & 32. v. 2.* Vide *lib. Tob. per totum.*

V. Quin imò & cuilibet serviunt pio in individuo, *Psal. 91. v. 11. 12.* parvulis, *Matth. 18. v. 10.* nubentibus & dormientibus, *Tob. 8. v. 3.* pœnitentibus, *Luc. 15. v. 7.* morientibus, *Luc. 16. vers. 22.* & in Novissimo die Christo reduci ac Judici aderunt Angeli accusatores, Cantores, Executores, *Matth. 25. vers. 31. & 13. v. 39. 1. Thessal. 4. v. 16*

VI. Atque sic conditi fuerunt in prima sua origine; Verùm multi

οἰκητήριον suum, ut loquitur Epistola Judæ v. 6. reliquerunt, in veritate non steterunt, Joh. 8. v. 44. de cœlo ceciderunt; Apocal. 12 v. 9. in tenebras, 2. Pet. 2. v. 4. ne habeant consortium sanctorum in lumine, Coloss. 1. vers. 12. ne videant faciem Patris, Matth. 18. v. 10. & ita non sint angeli lucis, 2. Cor. 11. v. 14.

VII. Ceciderunt autem non ex absoluto aliquo decreto, sed voluntate propria, Johan. 8. v. 44. & cum opera ipsorum & studia nobis indies innotescat, probabiliter statuimus, peccatum ipsorum primum fuisse superbiam.

IIX. Hinc orta est Angelorum distinctio in Bonos & malos: Bonos non τῇ φύσει, sed τῇ μετοχῇ, ut docet orthodoxus apud Athanas. dist. 1. de Trinitate. quia tales manserunt, quales fuerunt creati, & in bono à DEO sunt confirmati, ob quod dicuntur Angeli Dei electi, 1. Timoth. 5. v. 21.

sancti, *Marc. 8. v. 38. Luc. 9. vers. 26.* Angeli lucis, *2. Cor. 11. v. 14.* Malos, tùm quia Natura ipsorum depravata est, tùm quia malitiam suam, quã Christus *Joh. 8.* compendiosè dispescit in homicidium & mendacium, erga nos miseros homillos qnotidiè exercent.

IX. Putà, in statu Ecclesiastico zizania serendo, *Matth. 13. v. 27. 28.* nuptias & cibos prohibendo, *1. Tim. 4. v. 1. 3.* nos seducendo, *2. Thessal. 2. v. 8, 9. 3. Reg. 22. v. 22. Epist. Jud. v. 9. Zach. 3. v. 1.* In statu politico salutaribus consiliis resistendo, *Daniel. 10. v. 13.* ad peccata incitando, *1. Paral. 21. v. 1.* in statu œconomico omnia turbando, *Tob. 6. v. 8. & cap. 8. v. 3.*

X. Quin etiam erga quosvis malitiam exercent suam; erga *impios*, *Ephes. 2. v. 2. 2. Tim. 2. v. ult.* & *pios*, *1. Pet. 5. v. 8. Apocal 12. v. 12. Ephes. 6. v. 12. 2. Cor. 11. v. 3. 1. Tim. 5. v. 15.* ideoq; nobis cavendum, *Eph. 4. v. 27.* resisten-

resistendum, *1. Pet. 5. v. 9.* armatura Dei induenda, *Ephes. 6. v. 12.* orandum, ut sancti angeli adsint nobis: non modò nobiscum, sed etiam pro nobis, adsint, ut protegant, adsint ut prosint, ut loquitur Bernhard. *serm. 10. super Psalm. 91.* Deo gratias agendum, pro custodibus hisce corporũ, reverentia ipsis in omni angulo exhibenda, à peccatis abstinendum: Quemadmodum enim apes fugat fumus, ac columbas graveolentia expellit, inquit Basilius *super Psal. 33.* sic custodem vitæ nostræ angelum, lacrymosum & graveolens abigit peccatum.

XI. Porrò de Angelis etiam rectè statuendum est. 1. quòd sint, contra Sadducæos, *Act. 23. v. 8.* 2. quòd spacio ἐξαιρέτῳ creati sint, contra Nazianzenum. 3. quòd non corporei, licet compositi sint. 4. quòd in loco non sint, sed in πῇ: 5. quòd DEI δημιουργοὶ non fuerint, contra Judæos,

Simonianos, Nicoliatas &c. de quibus videris Lombard. *libr. 2. sentent. dist. 2.* 6. quòd immortales sint, licet solus DEUS dicatur habere immortalitatem, *1. Timoth. 6. v. 15.* 7. quòd numerus eorum sit innumerabilis. 8. quòd adorandi non sint, contra Pontificios, quorum hæc est precatio:

Angele, qui meus es custos, pietate paterna,
Me tibi commissum serva, defende, guberna.

9. quòd angeli mali futura prædicere non possint. 10. quòd vera miracula edere non possint. 11 quòd ipsi & homines, Deus verò nullatenus, autor sint peccati. 12. quòd potestas eorum sit sub potestate, & nobis sine Dei permissione ne pilum quidem, crispare possint. 13. quòd nunquam possint æternę beatitudinis fieri participes, contra Origenem & Socinianos &c.

XII. Deniq; ordinem inter Angelos esse concedimus, quis verò iste

iste sit, ignoramus, cum Augustino *in Enchirid. ad Laurent. cap. 29.*

LOCUS VII.

DE HOMINE.

RESPONDIT
JOHANNES FREITAGIUS,
Coburgensis, Francus.

I.

AB Angelis devolvimur ad hominem, qui considerandus 1. in statu *naturæ institutæ*, sive qualis fuerit ante lapsum. 2. in statu *naturæ destitutæ*, hoc est, qualis factus sit per & post lapsum. 3. in statu *naturæ restitutæ*, tùm in hac, tùm in altera vita: in hac, per gratiam, in illa per gloriam.

II. Est igitur Homo inter ποιήματα Dei ultimum, ut loquitur Lactantius *l. 2. c. 9.* formatus de limo terræ, *Gen. 2. v. 7.* ad imaginem & similitudinem

Dei, *Geneſ. 1. v. 26. Eccleſ. 17. v. 1. Sap. 2. v. 23. Coloſſ. 3. v. 10. Epheſ. 4. v. 24.* cui cùm inſpiraſſet *Elohim* in faciem ſpiraculum vitæ, factus eſt in animã viventem, vel, ut habet paraphraſis Chaldaica, in ſpiritum *loquentem*, [quibus in locis compendiosè exprimitur hominis cauſa efficiens, *Dominus Deus*: Materia, *limus terræ*: forma, *inſpiravit in faciem* &c. Finis, *factus eſt in animam viventem*.]

III. Creatus autem eſt Homo magna cum gloria, dignitate & poteſtate, quod patet 1. quia nullibi ſancta Trinitas manum adhibuiſſe legitur, quam in creatione hominis, ut ritè obſervavit Gregor. *l. 9. moral. c. 27.* &, ut loquitur Tertullianus *l. 2. adverſus Marcionem*, conditus eſt non imperiali verbo ut cætera, ſed familiari manu, & præmiſſo blandiente illo verbo: Faciamus hominem &c. 2. quia conditus fuit velut cum deliberatione & conſilio, ut docet Baſilius

lius

lius *homil. 10. in Hexamer.* & tamen rectè disputat Scalig. Impiam vocem in Deo esse consilium, *exerc. 356. sect. 8.* 3. quia in creatione ipsi patefactū fuit mysterium Trinitatis, *Genes. 1. v. 26.* 4. quia Deus ipsum Dominum constituit rerum omnium. 5. quia eum instruxit exquisita rerum naturalium scientia, *Eccl. 16. v. 14.* de quo prolixè videatur Bernhardus *in serm. 1. de annunc. Mariæ & serm. 14. in Psal. Qui habitat.* 6. quia condidit eum ad suam imaginem, hoc est, in justitia & sanctitate, *Eph. 4. v. 24.* quam imaginem post lapsum in homine reliquam esse stultè putant Photiniani, *in Catechismo Racovienſi pag. 22.* & in solo domino in creaturas alias collocant, *ibid. p. 23.* 7. quia omnia condidit propter hominem, vide Scal. *exerc. 250. sect. 1.*

IV. Condidit, inquam, propter hominem omnia: 1. Quædam, ut per aspectum disceret eum adorare

& glorificare, *Psal. 19. v. 2. Chrysost. hom. 9. ad Pomp. Antiochenum.* 2. Quædam, quoad esse illorum, ut *Elementa.* 3. quædam quoad vitæ sustentationem, ut aves, pisces, herbas &c. 4. quædam quoad vestitum, ut pelles animalium &c. 5. quædam quoad medicationem, ut herbas, venena: 6. quædam quoad mercimonia, ut metalla, aurum, argentum, lapides pretiosos &c. 7. quædam quoad virtutis imitationem, ut fortitudinis in leone, pudicitiæ in turture, prudentiæ in serpente, simplicitatis in columba, gratitudinis in ciconia &c.

V. Nec moramur hic Jesuitam Pererium, qui *lib. 2. de Philos. natur. c. 6.* disputat, non etiam cœlum, sed solum omnia sublunaria propter hominem facta esse: Aliud enim nobis suadent operationes cœli, vide *Scalig. exer. 260. sect. 1.* & inprimis motus, quandoquidem movetur cœlum, nō ut perficiatur, sed ut perficiat,

ficiat. Augustinus putat *lib. de vera religion. c. 29. & de duabus anim. c. 4.* quælibet viva, cuilibet substantiæ non vivæ naturæ lege proponi, inde concludit vel muscam *Soli* præferendam esse: sed huic sententiæ non subscribimus.

VI. Porrò constat homo duabus partibus, Corpore, quod de terra desumptum est, & Anima, quam Deus in faciem ei inspiravit, *Genes. 2. v. 7.* De anima agemus disputatione sequente, in hac de corpore pauca delibabimus.

VII. Corpus primi hominis in statu integritatis negamus fuisse mortale, idq; contra Jesuitam Bellarminum, qui *lib. 1. de gratia primi hominis cap. 6.* contendit, mortem homini ante lapsum fuisse naturalem: Vivebat enim homo in paradyso sicut volebat, quandiu hoc volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens DEO, ex quo bono erat bonus. Vivebat ibi

sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate: cibus aderat, ne esuriret; potus ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus, summa in carne securitas, in animo toto tranquillitas, sicut in Paradiso nullus æstus aut frigus: sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio, Augustin. *libr. 14. de civit. Dei, cap. 26.*

IIX. Fatemur, prolixè & eruditè disputare Bellarminum per totum 2. *librum de amissione gratiæ & statu peccati*, quòd Deus nullatenus sit autor & causa peccati. Quid verò? Hæc ipsius opinio si non directè, saltem obliquè, Deum peccati autorem facit, quia nullum aliud principium mortis, luctæ inter carnem & spiritum,

tum, pugnæ in mente, qualitatem in corpore, in integritatis statu assignari potest, quàm Deus creator.

IX. Urget quidem adversarius locum classicum, *Genes. 3. v. 17. & seqq.* sed causæ Elenchum committit. Describi enim eo loco peccati pœnam tanquam causam illius pulveris, & in pulverem redactionis, proplam fatetur Jesuita Pererius *tom. 2 commentar. in Genes. fol. 316.* & ex asse consentit Augustinus *lib. 13. de civ. Dei, c. 15.* sic inquiens: Inter Christianos, qui veraciter fidem Catholicam tenent, constare debet, & ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege naturæ, sed meritò inflictam esse lege peccati, quia peccata vindicans Deus, dixit primo homini, in quo tunc eramus, terra es & in terram reverteris.

X. Si quæras, quanam corporis mole Adam creatus fuerit, respondemus, quòd perfectâ, hoc est, tali

quæ

quæ naturalis viventium accretionis terminus esse consuevit, & qualis esse solet illorum, qui in perfecta ætate sunt constituti: Unde absurdū non est statuere, ipsum conditum fuisse barbatum.

XI. Rejicimus igitur opinionem Johannis Lucidi, qui *libr. 1. de emendatione temporum cap. 4.* autumat, Adamum fuisse gigantem, imò gigantum omnium proceriſſimum. Nec juvat ipsum locus Josuæ *cap. 14. v. 15.*

XII. Deniq; de costa, quam Deus Adamo legitur exemisse, *Genes. 2. v. 22.* Rabbini & Scholastici disputant varia. Nos ita statuimus, Adamum ante non habuisse 13. sed 12. costas; & nihil obstante, quod unica exempta fuerit, generasse liberos habentes costas 12.

LOCUS

LOCUS IIX.

DE ANIMA.

RESPONDIT

JOHANNES STAMBERGER
Scalcovienſis, Francus.

I.

ALtera, eaq; nobilior, ex qua homo conſtat, pars, eſt Anima, quæ in eo differt ab animabus brutorum, quòd eſt immortalis, id quod non à Socrate, ſed à Deo diſcendum eſſe, piè monet Tertullianus *lib. de anima c. 2.* additâ ratione, quoniam nemini veritas comperta ſit ſine DEO, nec DEUS cognitus ſine Chriſto.

2. Sed immortalitatem animæ, negarunt olim Sadducæi, ut patet ex *Matth. 22. v. 23. & Actor. 23. v. 8.* & non ſolùm olim *1. Corinth. 15. v. 32.* ſed hodieque negant, Epicuræi, qui quotidie ſuum πίνε, πίνε ingeminant

Et

Et testis est *Euseb. libr. 6. histor. Eccles. c. 27.* fuisse in Arabia, qui statuerint, animam cum corpore simul interire, quos Augustinus *in libr. de hæres. hær. 8.* vocat Arabicos, quorum errorem Anno 1207. Johannes XXII. Pontifex quasi postliminiò, reduxit, & quòd Papa Paulus III. de animæ immortalitate dubitaverit, historiæ memorant.

3. In memoriam hoc sibi revocare debebant Jesuitæ, qui B. Lutherum iniquè accusant, quòd animæ immortalitatē negaverit, & ut portentum damnaverit, *in assert. articul. per Leonem X. damnator. artic. 37.* cùm ob hunc ipsum errorem ipsis rectiùs scribatur dicta Pontifices enim quosdam vel directè animæ negasse immortalitatem, annotat Calvinus, *lib. 4. Institut. cap. 7. sect. 27. & 28.*

4. Quanquam autem animæ immortalitas multis argumētis & Scripturæ dictis stabiliri possit, nos tamen

men modò contenti erimus istis, quòd *Genes. 25. v. 7.* Abraham appositus dicitur ad populum suum; quod Deus *Matth. 22.* dicitur DEUS non mortuorum sed viventium; quod *Eccles. 12. v. 6.* scribitur Spiritum redire ad Deum. *(Confer Sap. 2. v. 3.)* quòd *Matth. 10. v. 28.* Christus ait homines posse occidere corpus, non animam, quòd *Sap. 31. Luc. 16. v. 24. & Apocal. 14. v. 13.* asseritur, animas justorum esse in manu Dei; quòd Christus Patri, Stephanus animam Christo commendant, *Luc. 23. v. 46. Actor. 7. v. 59.* quòd Paulus cupit esse cum Christo, *Philip. v. 23.* abesse à corpore & præsens adesse apud Deum, *2. Corinth. 5. v. 4.* ex quibus omnibus & singulis apodicticè probatum dabimus petenti, animam esse immortalem.

5. Absit interim, ut statuamus, hinis animam sive animum (non enim assentimur Scaligero, qui *exer. 301. sect.*

301. sect. 1. inter hæc duo distinguit) cum Cicerone *lib. 1. de divinit.* extitisse ab omni æternitate, versatumque esse cum innumerabilibus animis.

6. Faceſſat etiam μετεμψύγωσις sive transmigratio animarum Pythagorica in alia atq; alia corpora: Vanitatis obeliſco confodiatur jactantia Juliani Apoſtatæ, qui ſe animæ Alexandri animatum eſſe gloriabatur.

7. Nec audiatur Zabarella & Goclenius: Ille, quia *in lib. de generat. & inter. cap. 2.* diſputat, unum eſſe omnis animæ interitum: hic 1. quia *in diſquiſitionib. Philoſoph. pag. 13.* Angelis attribuit corruptibilitatem, corpus, compoſitionem ex materia & forma, circumſcriptionem in loco, motum localem; quæ ſi de anima vera non ſunt, multò minus de Angelis vera erunt; & rurſus, ſi de Angelis hæc affirmanda, quantò magis

gis de anima. At falsa hæc omnia sunt cùm de Angelis, tùm de anima. 2. quia *in Adversarius quæst. 68.* contendit, in homine vitam esse duplicem, alteram animæ, alteram corporis, illamq; dicit manere, hanc interire. Quid enim, amabò, aliud est vitam interire, quàm animam interire? quia anima est, quo vivit corpus, vide *Scal. exerc. 102. sect. 5.*

8. Recte nihilominus dixit Philosophus *libr. 2. de anim. tex. 4.* animam esse in loco; Damus eam esse in corpore, negamus corpus locum esse animæ, vide *Scal. exerc. 307. sect. 13.* In corpore est anima, quippe dans ei hoc, quod appellatur esse, *Scal. exerc. 307. sect. 38.*

9. Neq; hic movemur autoritate Tertulliani, qui *in lib. de anim. cap. 2. & lib. de carne Christi*, animum, imò Deum ipsum (quanquam posterius non malè excusat Augustinus *hæres. 68.*) censuit esse corporeum: multò

minùs Platonis, qui teste *Aristotele lib. 1. de anima tex. 26.* fecit animam ex elementis compositam.

10. Palestræ plena est disputatio de Propagatione animæ, an sit ex traduce, an verò infundatur divinitùs? Nobis placet affirmatio prioris, quippe quæ minores ac pauciores habet difficultates & absurditates, quàm assertio posterioris, quæ plerisque Calvinianis arridet, & Deum peccati autorem constituit. Qui etiam animam divinæ particulam auræ cum Poëtis & *Scalig. exerc. 307. sect. 5.* faciunt, in labyrinthos prolabuntur.

11. Porrò animam rationalem veram & informantem formam hominis esse affirmamus ex *Gen. 2. v. 7.* Formam assistentem *Platonis libr. 5. de natura hom. & Averrois comment. 5. de anim. lib. 3. Simplicii, lib. 2. de anim. tex. 7. Philoponi, ibid. t. 11. Themistii, libr. 2. de anim. c. 27.* repudiamus:

mus: nec admittimus illos qui Humanitatem (sicut apud Averroëm *lib. 1. de cæl. t. 92.* forma cœli est cœlitas, apud *Scal. exerc. 307 sect. 27.* forma leonis est leonitas, mensæ mensitas &c.) propriè hominis formam esse dicunt, inter quos *Goclenius lib. 1. Instit. Logic.* & in Metaphys. *disput. 1. th. 5.* sic nec locum paramus Casmanno, qui *lib. 1. psychol. pag. 3.* contendit unionem animæ cum corpore formam esse hominis.

12. Si anima hominis forma est, ut est, eandem extensam & divisibilem esse negamus, iterum contra Goclenium. *Vide part. 1. Schediasmat. meorum, quæst. 30. & part. 2. quæst. 12.*

13. Pari modo negamus 1. præter animam rationalem in homine esse adhuc aliam, quâ caro concupiscat adversus spiritum, contra Manichæos apud Augustin. *in lib. de duab. animab. c. 8. & super Gen. ad liter. c. 13.* 2. Tres esse distinctas animas in uno homi-

ne, contra Philopon. *libr. 1. de anim. t. 91. Ockam. Quodlib. 2. q. 3. Jandun. lib. 1. de anima q. 12.* 3. Formam corporeitatis animæ rationali esse additam, contr. Henric. Gandav. *Quodlib. 2. q. 2. & 3.* Scotum, *in 4. sentent. dist. 21. q. 3.* & Zabarellam, qui *in lib. de generat. & corrupt. c. 1. 2. & seqq.* vocat formam misti, ubi etiam ἀφιλοσόφως in homine agnoscit formas partiales, aliam carnis, aliam ossis &c.

14. Pro coronide rejicimus 1. opinionem Fraticellorum, qui Anno 1298. opinabantur visionem animarum sanctarum differri usque ad novissimum diem. 2. Somnium Matthiæ Deuvayi Ungari, qui animam usque ad resurrectionem carnis docuit dormire sine sensu & intellectu; cujus dilirii etiam sese participes fecerunt Anabaptistæ, testante *Dn. Chemnit. part. 3. exam. Concil. Trident.* 3. Pontificiorum quintuplex ani-

animæ post mortem receptaculum, quale ipsis est 1. Limbus puerorum, 2. Limbus Patrum, 3. Purgatorium, 4. Infernus, 5. Cœlum.

LOCUS IX.

DE IMAGINE DEI IN HOMINE.

RESPONDIT

M. JOHANNES CRAVSER,
Scholæ Eisfeldensis Rector.

I.

REfert Augustinus *Epist. 29. ad Hieronym.* hanc historiolam: Cùm quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quàm suffocaret, ne loqueretur, accessit alius, eo viso admirans ait: *Quomodo huc cecidisti?* At, ille, *obsecro*, inquit, *cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim.*

2. Ita nos miseri peccatores per lapsum protoplastorum amissa imagine Dei, quæ erat in nobis, *proh dolor!* in puteum peccati, miseriæ, mortis tum temporalis, tum æternæ, demersi sumus: ubi non tantùm cogitandum nobis est, quomodo eò ceciderimus, sed inprimis quomodo inde liberemur: id quod fit per Dominum nostrum Jesum Christum: Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, *1. Cor. 15. v. 22*

3. Ad imaginem autem Dei, sive in & cum justitia originali (quæ sic dicitur, quia primus homo, ut origo & radix generis humani in ea fuit creatus, *Genes. 1. v. 27. Ephes. 4. v. 22.*) hominem creatum fuisse, testantur dicta Scripturæ classica: *Genes. 1. v. 26. & 27. & cap. 5. v. 1.* ubi pro latinis vocibus *imago* & *similitudo*, Hebraicè legitur, צֶלֶם & דְּמוּת

4. Non desunt, qui inter imagi-

nem

nem & similitudinem distinguunt, & imaginem ad naturam intelligentiæ & voluntatis referunt, similitudinem verò ad sapientiam & justitiam: atq; inde volunt inferre, hominem non imaginem, sed similitudinem Dei per lapsum amisisse.

5. Urget hoc discrimen vehementer Jesuita *Bellarmin. in libr. de gratia primi hominis, cap. 2.* adeoque non veretur illos hæreseωs accusare, qui statuunt imaginem DEI in homine per peccatum obliteratam esse *lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 9.*

6. Et fateor, Bellarminus pro se habet *Augustin. in lib. 10. de Trinit. cap. 12. & lib. 11. de Civ. Dei, cap. 26.* Basilium *lib. 10. in Genesin*, & alios è pia vetustate plurimos. Verùm discrimen inter hæc duo Scriptura sacra penitùs ignorat.

7. Cur verò Spiritus sanctus utitur nõ unâ, sed duabus vocibus צֶלֶם & דְּמוּת? Respondeo, id fieri non

quòd duas distinctas res significent, sed ut altera alterā explicet, id quod in Scriptura sacra rarum non est: Quod animadvertens Jesuita Pererius *lib. 4. Commentar. in Genes. tom. 1. cap. 1. super v. 26.* sic apertè scribit, non moratus Bellarmini Cardinalitiam autoritatem: *Manifestum igitur est harum vocum imaginis & similitudinis eandem esse vim & significationē, easq; hoc loco ad idem significantiùs, expressiùs, & illustriùs declarandum esse positas.*

8. Sed videamus quidnam fuerit illa imago? 1. non fuit similitudo in corporeo homine cum Deo corporeo, ut somniaverūt Anthropomorphitæ, teste Nicephoro. 2. non anima hominis, quæ tamen imaginem DEI etiam post lapsum aliquatenus repræsentat. De Photinianorum errore aliquid dictum est suprà *loc. 7. §. 3.* Quid ergò est?

9. Respondet *Apologia Augustanæ*

Con-

Confessionis & Formula Concordiæ his verbis: Justitia originalis respicit non tantùm secundam tabulam Decalogi, sed primam quoq;, quæ præcipit de timore Dei, de fide, de amore Dei. Itaque homo ad imaginem hanc DEI conditus habiturus erat non tantùm æquale temperamentum qualitatum corporis, sed etiam notitiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certè rectitudinem & vim efficiendi: Item immortalitatem & dominium in res creatas.

10. Sic igitur imago DEI reluxit non in essentiæ similitudine, sed in qualitatum perfectione, quod patet ex amissæ restauratione, *2. Cor. 3. vers. 18. Eph. 4. v. 17. & seqq. Colos. 3. v. 9. & seqq.*

11. Facessat ergò error Flacii, qui ut peccatum originale dixit esse substantiam, sic etiam contendit imaginem Dei fuisse substantialem, vel ta-

lem imaginem, quæ ipsa hominis fuerit substantia; quæ ipsius opinio, cùm à Manicheismo vix uno digito absit, indigna est, ut hîc prolixè eam refellamus.

12. Sed & Scholastici, quos hodiè sequuntur Jesuitæ, de imagine Dei in homine non rectè sentiunt. Statuunt enim justitiam originalem sive imaginem DEI fuisse donum supernaturale in creatione homini collatum: proinde ac si homini vestis induatur, qua exutus nihilominus integer maneat in puris suis naturalibus. Conferunt etiam cum, serto virginis, quo amisso virgo nihilominus manet virgo: Probat suã opinionem Bellarminus ex loco *Ecclesiastici cap. 17. v. 2.*

13. Nos amplectimur sententiam Lutheri *super cap. 3. Genes.* nempe, rectitudinem illam & integritatem viriũ fuisse homini connaturalem, hominemque habuisse eam in sua, sub-

ſubſtantia, ſine ullis adverſitatibus, qualitatum pugnis morbis, defectibus, concupiſcentiis, pravis inclinationibus &c. eamq; ſententiam judicamus Scripturæ ſacræ planè conformem eſſe.

14. Locus *Eccleſiaſtici* nihil juvat Jeſuitam. Nam Græcus textus ita habet: ἐνέδυσεν αὐτὰς καθ' ἑαυτὰς ἰσχύν: Induit eos virtute ſecundū ſeipſos. Unde apparet fuiſſe virtutem illam ſecundum ipſos homines, naturæq; eorum optimè conveniſſe. Nec præſidium habet in verbo *veſtiendi*. Nam *Hiob. cap. 10. v. 11.* legitur, Deus hominem carne & cute veſtiviſſe. At, quis niſi Chorœbus, dixerit, hæc dona eſſe ſupernaturalia?

15. Quod ſi verò primus homo non peccaſſet, an nihilominus moriturus fuiſſet? Affirmabant illud olim Pelagiani, teſte Auguſtin. *libr. de hæreſ. cap. 88.* ſed univerſæ Scripturæ ſacræ placet ἀπόφασις.

16. De-

16. Deniq; quæ hactenus dicta sunt de imagine Dei in homine, illa non tantùm de masculo, sed etiam de fœmina intelligenda sunt, juxta verba Jehovæ: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã, *Gen. 1 v. 26.* ubi post pauca subditur: Et creavit DEUS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum: masculum & fœminam creavit eos, *vers. 27.* Nec obstat locus Paulinus *1. Cor. 11. v. 7.*

LOCUS X.

DE LIBERO ARBITRIO.

RESPONDIT

MELCHIOR WEIGLERUS
Ecclesiæ & Scholæ Hilperhusanæ Cantor.

I.

DE libero arbitrio disputaturi, vitandæ Sophisticationis ergò, statim

tim notamus, non esse hîc sermonẽ 1. de libero arbitrio Physicè sumpto, quod nihil est aliud quàm ratio & voluntas humana. 2. non de libero arbitrio Ethicè sumpto, quod est in rebus externis & politicis, & in quo utroque est libertas contradictionis & contrarietatis. 3. non de libero arbitrio ut fuit in natura instituta, hoc est, ante lapsum in statu integritatis. 4. non de libero arbitrio, ut erit in natura restituta, sive in statu gloriæ in vita æterna. 5. non de libero arbitrio, ut est in hominibus renatis, (Hi enim aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant, *inquit Augustinus*) sed 6. sermo nobis est de homine post lapsum, nondum renato, ac de viribus ejus in rebus spiritualibus, & conversione ad Deum.

2. Jam negamus hominem post lapsum habere in se vires aliquas, potentiam, facultatem inchoandi & efficiendi motus spirituales, & præparan-

parandi sese ad gratiam Dei, & conversionem, atque adeò dicimus, liberum arbitrium esse nomen sinere, vel rem de solo titulo, titulumvè sinere, cum Luthero, vel, ut cum Scaligero loquar, appellationem esse ex usu, non ex re, vocabulum esse arrogantius, & rectiùs cum Augustino & Luthero dici servum, aut (ratione renatorum) liberatum (ad justitiam enim faciendam nemo liber est, nisi liberatus, *Augustin. in Enchirid.*) quàm liberum arbitrium. Qui enim peccatum facit, servus est peccati, *Joh. 8. v. 34.*

3. Contradicunt hîc nobis Pontificii, negantes liberum arbitrium in rebus spiritualibus per peccatum prorsus extinctum, & sublatum, sed potiùs fractum esse & attenuatum, *vide Concil. Trid. sess. 6. c. 1.* Nostram igitur sententiam manifestè confirmantia dicta, vide *Psalm. 14. vers. 3. Rom. 3. v. 10. 11. 12. Rom. 8. v. 7. Eph. 2. v.*

2. v. 1. Coloss. 2. v. 13. 1. Petr. 2. v. 24. Psal. 53. v. 3. Esa. 53. v. 6. Johan. 1. v. 5. Ephes. 2. v. 3. Rom. 6. v. 16. 2. Cor. 3. v. 5. Matth. 16. v. 17. Joh. 3. v. 6. Joh. 5. v. 5. Philipp. 2. v. 13. ad quæ multa quidem excipit Bellarminus, sed nos omnia titivilitio æstimamus, & ne hettæ quidem facimus. Opponit etiam in contrarium argumenta quatuor, aliquot item classes dictorum Scripturæ sacræ; quæ judicat non metuere ullum arietem, at nos ea facilè solvemus ex thesi prima, & ex Scripturæ cum Scriptura collatione. Dicta, quæ producit, non requirunt acutum disputatorem, sed attentum lectorem, ut rectè hîc usurpare possis dictum veterum Rabinorum: *In quocunq; Scripturæ loco invenies pro hæreticis objectionem, statim invenies medicamentum in latere ejus.*

4- Hinc elucet blasphemos esse Pontificios, quando scribunt gratiã divi-

divinam sine nobis non operari salutem. Cooperamur Deo, (*scribit Bellarminus libr. 6. de gratia & libero arbitrio, c. 11.*) non solùm ut adversarii volunt, post justificationem, sed etiam in ipsa justificatione & initio fidei. *Et rursum*: non nisi cooperantibus nobis, Deus salutem nostram operatur. Quasi verò sit volentis & currentis, & non miserentis DEI, *Rom. 9. v. 16.* Qui τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν in nobis operatur, quis est? *Philip. 2. v. 13.* vobis *à Deo* donatum est, ut credatis *Philip. 1. v. 29.* Hoc est opus *Dei*, ut credatis in eum, quem misit ille *Joh. 6. v. 29.*

5. Porrò ut libertatem arbitrii in rebus spiritualibus asseverent, novũ paradoxon affinxerunt, hominem scilicet, legem Dei in hac vita perfectè implere posse. Falsissimum! Lex enim est spiritualis, nos carnales, *Rom. 7. 14.* Non est homo justus super terram qui faciat bonum & non pec-

peccet, *Prov. 20. v. 9. 1. Reg. 8. v. 46. Rom. 7. v. 21. Philipp. 3. v. 12.*

6. Sed hic ad unum clamant omnes: *Cur ergò Deus præcepit, quæ servare non possumus: Impossibilium nulla est obligatio: Ultra posse viri non vult Deus ipse requiri.* Surdis hæc audimus auribus. Nam novimus Pelagium quoq; hisce boatibus usum esse: à quo, cùm Pontificii eos didicerint, cur ringuntur, quando à nobis Pelagianismi accusantur?

7. Interim cur Deus hæc requirat, causæ non sunt nullæ. Pulchram suppeditat Augustinus (quem unum ex omnibus Patribus in hoc articulo sincerum judicat *Calvinus*) *in libr. de grat. & libero arbitrio cap. 16.* quando ita scribit: Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet DEUS, quòd sciret ab homine non posse perfici. Quis hoc nesciat? sed ideò jubet Deus aliqua quæ non possumus, ut noverimus,

quid ab ipso petere debeamus. Unde idem Augustinus ad DEUM sic orare consuevit: *Domine da quod jubes, & jube quod vis.*

8. Aliæ causæ sunt, 1. ut agnoscamus DEI sanctitatem, 2. sciamus quales ab initiò nos Deus condiderit, 3. quales post lapsum redditi simus. Unde iterum Augustinus eleganter *in libr. de spirit. & liter.* disputat, Deum legis suæ præcepta non metiri humanis viribus, quales jam sunt post lapsum, sed præscribere nobis ea, quæ congruunt cum æterna justitia, & quæ implere debuissemus, si perstitissemus in integritate. 4. Ut discamus non satis esse legi externam tantùm obedientiam præstare, *vide Chemnit. part. 2 locor. pag. 17.* 5. Ut Christum quæramus, eiq; devotas gratias agamus, quòd legē pro nobis implevit, *Matth. 5. Rom. 10. Galat. 3. & 4.* ejusq; obedientiam tùm activam tùm passivam, vera fide nobis

nobis applicemus. Qui credit in Christum, is scopum legis adimplet, *inquit Theodoretus in cap. 10. Roman.* 6. Ut ducente & docente Spiritu S. incipiamus legem implere, & fieri populus spontaneus, *Psalm. 110. v. 3. Cantic. 6. v. 11. 7.* & denique etiam certiores reddamur restare aliam vitam, in qua lex implebitur, de quo sic Augustin. (quem Hieron. *in disput. de libero arbitrio cum Catholicis*, conditorem antiquæ fidei nominat) *lib. 1. retract. cap. 16.* perfectissimè ibi lex æterna servabitur, & illa duo præcepta de diligendo Deo & proximo, non in *lectione*, sed in ipsa perfecta & sempiterna *dilectione* tenebimus.

9. His ita se habentibus, negamus etiam Pontificiis perseverantiam esse à libero arbitrio. Est enim ea donum Dei, in cujus virtute custodimur per fidem ad salutem, *1. Petr. 1, v. 5.* qui omnis gratiæ nos perfe-

ctos reddit, ſtabilit, roborat, fundat, *cap. 5. v. 10.* Negamus eſſe in omnibus naturâ liberam DEO obediendi voluntatem, & Scripturam ſacram à nobis legentibus ſolius intellectus, auxilio ſine ſpeciali & interna Spiritus ſancti gratia intelligi poſſe *contra Photinianos.*

10. Ad extremum, ex his quæ hactenus dicta ſunt, pateſcit, quid homo ex propriis viribus ad ſui converſionem conferat? *Nihil.* DEUS enim eſt, qui dat pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, *Actor. 5. v. 31. 2. Timoth. 2. v. 25. 26.* Deus eſt qui donat cor intelligens, oculos videntes, & aures audientes, *Deuter. 29. v. 4. Matth. 13. v. 14.* Deus eſt qui aufert durum ac lapideum cor (non creata nova voluntate, ſed depravata ſanata, *Auguſtin. de Civ. Dei*) & donat novum velle & carneum, *Ezech. 11. v. 29. & c. 36. v. 26. Deut. 30. v. 6. Pſal. 51. v. 12.* idq; perficit Deus per ver-

verbum & Sacramenta, (contra Calvinistas & Schwenckfeldianos) *1. Cor. 1. v. 21. Rom. 10. v. 17. Johan. 17. v. 20. Act. 10. v. 19.* voluntate interim nostra habente sese purè passivè, ut rectè sentit Lutherus & nos cũ ipso, non tantùm contra Pelagianizantes Papistas, sed etiam contra nuper exortos Synergistas, quibus annumeramus Erasmum cum suo modiculo, Philippum cum suis tribus causis Conversionis, ut & Strigelium, itemque Bezam scribentem, nos primæ gratiæ συνεργεῖν, *in lib. quæst. & respons. pag. 39.*

LOCUS XI.

DE PECCATO.

RESPONDIT

JOHANNES HOFMANNUS,
Heltburgensis, Francus.

I.

PEccatum nihil est: nulla enim ejus est essẽtia. *Nazianz. in serm. de Baptis.*

Baptiſ. Auguſtin. tom. 7. de natura & grat contra Pelag. cap 20. Nihil eſt 1. propter defectum, quia non eſt res aliqua naturalis, ſed corruptio boni. 2. propter effectum, quia annihilat hominem, & deficere facit àvero eſſe. 3. propter deſpectum, quia vilem facit hominē & indignum præmio, *Bonaventur. in Compendio*, & ſi quis ejus cauſam efficientem inquirere velit, nihilo plus agit, quàm ſi det operam, ut oculis tenebras videat, auribus ſilentium audiat, neque illud niſi per oculos, neq; hoc niſi per aures, nec ſanè in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione, *Auguſtin. lib. 12. de civ. Dei c. 7.*

2. Ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, *1. Johan. 3. v. 4.* hoc eſt, prævaricatio legis divinæ, ut interpretatur Ambroſius, vel ut Auguſtinus *lib. 2. de conſenſ. Evangeliſt. cap 4.* transgreſſio legis quæ Johannis definitio accurata eſt, genere

&

& differentia, peccati tùm materiale tùm formale comprehendens.

3. *Augustinus* peccatum definit *lib. 22. contra Faustum*, omne dictum, omne factum, omne concupitum contra legem æternam: quam definitionē accipimus de peccato actuali, non rejicimus, ut calumniatur *Bellarminus lib. 1. de amissione gratiæ & statu pecc. cap. 1.* Nam si de peccato in genere accipiamus cum Pontificiis, angustior est definito, & cum eo negatè converti non potest. Si etiam cum Bellarmino illud propriè contra Dei legem esse statuamus, quod est voluntarium, negaremus peccatum originis, luctum piorum, querelas sanctorum, & Pauli, *Roman. 7. vers. 15.*

4. Peccati causa efficiens sive per se, sive per accidens, non est DEUS, *Genes. 1. v. ult. Deut. 32. v. 4. Psal. 5. v. 5. 6. 7. Sophon. 3. v. 5. Zachar. 8. v. 17. Rom. 3. v. 5. 6. &c.* (contra Manichæ-

os & Cinglianos) sed Diabolus, & perversa hominis voluntas, *Genes. 3. v. 13. 2. Corinth. 11. v. 3. 1. Timoth. 2. vers. 14. Ephes. 2. v. 2. 2. Timoth. 2. v. 26. Jacob. 1. v. 14. &c.*

5. Peccatum est vel *Originale*, quod *Augustinus tom. 7. lib. 6. contra Julianum*, vocat alienum proprietate actionis, & nostrum contagionis propagine, & non tantùm est carentia justitiæ originalis debitæ inesse, sed etiam positiva naturæ humanæ pravitas, *ex Rom. 3. v. 10. & 7. v. 18. 19. 23.* morbus seu vitium, qui damnat & affert mortẽ æternam, *Rom. 5. v. 12. Colos. 1. v. 13. Johan. 8. v. 34. 2. Petr. 2. v. 19.* & in hac vita à nullo homine separatur: transit reatu, manet actu, ideò nos quoque ipsa manet, *Augustin. libr. 1. de Conc. c. 25. &* Actuale, quod *Augustinus in Enthirid. c. 44. & 50.* vocat additum vel proprium; & est nihil aliud quàm omnis

mnis affectus, cogitatus, dictum aut factum contra legem Dei.

6. *Originale* vocatur non ab origine conditi mundi & creati hominis, nec ab origine lapsus (peccatum enim protoplastorum fuit actuale) sed ab origine nativitatis humanæ, ex *Epist. Ephes. 2. v. 3.* Unde Ambrosius appellat naturale contagium generationis, Anshelmus naturale, Lutherus hæreditarium, Erbsünde: In Scriptura vocatur malū figmentum cordis, *Genes. 8. v. 21.* peccatum absconditum, *Psal. 19. v. 13.* delicta juventutis, *Psal. 21. v. 7.* immundities, *Hiob. 14. v. 4.* concupiscentia, peccatum inhabitans, lex peccati, *Rom. 7.* radix amaritudinis, *Hebr. 12. v. 15. &c.*

7. Et quanquam nihil aliud simus quàm peccatum, quod nos scire magnam sapientiam dicit *Lutherus tom. 4.* & subjectum peccati originalis sit tota hominis natura, quâ

corp°, quà animã, quà singula membra & potentias; non tamen est ipsa hominis substantia, ut voluit Flacius; non sic morte Christi ex natura humana sublatum est, ut infantes ab eo sint alieni, ut contenderunt Pelagiani, Anabaptistæ, Zwinglius *in Comment. 5. c. Roman.* & cùm in & cum eo nascantur infantes, falsa est sententia Calvinistarum, ex sanctis parentibus nasci liberos sanctos: falsi sunt Pontificii, asserentes peccatũ originis esse maculam quandam, aut languorem in corpore & sensualitate: falsi sunt, cùm negant Concupiscentiam post baptismum reliquam esse peccatum, falsi sunt, dum per baptismum prorsum tolli clamitant: falsus est Seneca, *qui Epist. 90.* negat vitia nobiscum nasci, quam sententiam *Lactantius libr. 6. c. 16.* etiam tribuit Peripateticis: falsus est Aristoteles, disputans, nec virtutem, nec vitia τῇ φύσει ἐγγίνεσθαι, *libr. 2. Eth. cap.*

cap. 1. falsus Pelagius, dicens peccatũ originis derivari in posteros tantùm exemplo & imtiatione: Falsus Bellarminus in incredibile paradoxon sive potiùs delirium vocans, quòd scripserit Dn. Chemnicius, Embriomen nondum animatum habere veram & propriam peccati rationem. Falsus est, pronuncians Mariam ab omni omninò peccato fuisse immunem. Falsi sunt Photiniani, peccatum Originale planè negantes, *in Catech. Racov. pag. 285.*

8. Actuale peccatum dictum volunt ab actu sive agendo, id videtur quòd minùs rectè, aut saltem valdè ἀκύρως, quia peccatum non est actus; sed privatio, & defectus ab actione. Sed respondeo nos uti hoc termino non ut Philosophico, sed ut Theologico. In Scriptura enim sacra peccata actualia vocantur operantia, *Rom. 7. v. 8. & 18.* opera carnis, *Galat. 5. vers. 19.* actiones veteris hominis, *Coloss.*

Coloss. 3. v. 9. & actionis vox latè accipitur, ut etiam malas cogitationes comprehendat; Quanquam Scaliger etiã philosophicè respondeat: quia, *inquit*, ipsa quoque cessatio quodammodo actio est: tametsi videtur esse privatio actionis. Alioqui enim esset verum illud axioma, quod à Stoicis accepit Seneca: Omne peccatum est actio, Ago enim hoc ut velim facere. Est actio animi privatio operæ, *Exerc. 315.*

9. Distingui solet peccatum actuale 1. in *Omissionis*, quod pugnat cum lege DEI negante, sive prohibente, & *Commissionis*, quod pugnat cum lege DEI affirmante sive mandante. 2. Distinguitur etiam in *privatum* & *publicum* sive commune. 3. in *occultum* & *manifestum*: 4. in peccatum *regnans* & *non regnans*, sive in *mortale* & *veniale*. 5. In peccatum contra conscientiam & in Spiritum sanctum, ubi nota contra

Pon-

Pontificios nullum peccatum suâ natura & per se esse veniale, sed sic dici per & propter Christum, qui renatis Spiritu facta carnis mortificantibus, illud non imputat ad damnationem, *Rom. 8. v. 13.* unde Augustinus vocat peccatum infirmitatis; q. vitari in hoc statu naturæ corruptæ posse statuũt Papistæ, sed falsò.

10. Porrò peccatum in S. sanctum καθ' ἐξοχὴν vocatur pecatum ad mortem, *1. Joh. 5. v. 6.* Est enim irremissibile, *Matt. 12. v. 21. 22. Marc. 3. v. 28. Luc. 21. v. 10. Heb. 6. v. 4. 5. 6. & cap. 10. v. 26. 27.* & gratiæ divinæ per Spiritũ S. in Evangelio oblatæ destinato consilio facta rejectio cum blasphemia & induratione conjuncta. Dicitur ergò *irremissibile*, quia ab eo ad pœnitentiã non datur regressus, sicut à perfecta & totali privatione non est regressus ad habitum: *Irremissibile*, inquam, non ratione misericordiæ divinæ, ea enim est omnium; non ratione verbi, illud enim præ-

prædicatur omnibus: non ratione gratiæ, illa enim offertur singulis; non ratione meriti Christi; hoc n. est universale, sed irremissibile ratione causæ instrumentalis.

11. Deniq; Anabaptistæ, Calvinistæ & Papistæ, qui negant peccata mortalia sive regnantia excutere fidem & Spiritum sanctum, vel in quo cum Costero in Enchiridio dicunt, in peccato etiã mortali amitti quidem gratiam, sed non fidem, tot clarissimis Scripturæ dictis, *Gen. 2. v. 17. Ezechiel. 18. v 14. 26. Roman. 8. v. 34. Heb. 4. v. 5. 6. Rom. 10. v. 20. 2. Pet. 2. v. 20. Luc. 11. v. 24.* & exemplis *Adami, Davidis, Petri &c.* vim inferunt. *Andradius* qui scribit *libr. 5.* non minoris criminis reum esse, qui Ecclesiasticas leges violaverit, quàm si Christi ore editæ fuissẽt illæ, ac promulgatæ, peccat in Scripturas, *Deut. 11. v. 1. Eccles. 12. v. 13. 1. Joh 3. v. 53. Marc. 7. v. 7, 8. Matth. 15, v. 3.*

LOCUS

LOCUS XII.

DE PRÆDESTINATIONE.

RESPONDIT

M. MELCHIOR STEINBRÜCK
Gothanus, Thuringus.

I.

OMnis omnium hominum miseria est à peccato, à quâ ut liberaremur, Deus ex immensa sua misericordia iniit consilium ab æterno, quod est electio: Electio autem est actio Dei, quâ secundùm beneplacitum voluntatis suæ, ante jacta fundamenta mundi, homines in Christum perseveranter credentes salvare decrevit.

Ergò

2. Excluduntur in electione hominum ad vitam æternam omnia opera, *ex Roman. cap. 9. v. 11. 12. 13.*

&

& cap. 11. v. 5. 6. contra Pelagianos, Pontificios, Photinianos.

Ergò

3. Penitùs è manibus noſtris tollatur, & ſolius DEI bonitati relinquatur juſtificatio & ſalus noſtra, *Lutherus in præfat. Epiſt. Roman ex Epiſt. Epheſ. 1. v. 6.*

Ergò

4. Electio non eſt hominum ſimul & Angelorum, *ut vult Polanus*: nec obſtat locus Apoſtolicus, *1. Timoth. 5. v. 21.*

Ergò

5. Non omnes homines ſunt electi ad vitam æternam, *(contra Huberum,)* licèt omnes ſint vocati, *(contra Calviniſtas,)* & quidem efficaciter ac ſeriò, *(contra Rolloccum.)*

Ergò

6. Non eſt diſtinctio inter Electos nominaliter, & Electos partcipialiter, *iterum contra Huberum.*

Ergò

7. Ele-

7. Electionis causæ tres sunt: 1. Misericordia DEI. 2. Christus Mediator. 3. Fides, de quibus omnibus audi Staupitium sic Lutherum tentatum alloquentem: *Intuite vulnera Christi, & effulgebit prædestinatio.*

Ergò

8. Electio & justificatio sunt idē, differunt tempore: nihil enim est in opere, quod non est in prædestinatione, *Fulgentius lib. 1. ad Mon.*

Ergò

9. Falsus est Pelagius statuens, Deum propter prævisa merita, homines ad vitam æternam elegisse.

Ergò

10. Falsus est Polanus, nos, statuentes electionem in fide ante secula factam, *ex 2. Thessal. 2. v. 13.* Pelagianismi accusans.

Ergò

11. Falsus est Calvinus *(libr. 3. Institut. cap. 23.)* cum suis, censens: omnes Adæ filios non solùm DEI

præscitu & permissione, sed & voluntate, vel solius divinæ voluntatis arbitrio, prædestinatione, decreto horribili & necessitate lapsos esse, &c.

Ergò

12. Falsi sunt Calviniani colligentes *ex Rom. 9. vers. 21, 22.* maximam hominum partem, ad interitum, ab opifice Deo esse conditam.

Ergò

13. Falsi sunt dicentes non incredulitatem, & peccata alia, esse causam reprobationis, quæ ab æterno fuerit, & omnes causas antegrediatur, sed solùm DEI propositum & voluntatem.

Ergò

14. Falsi sunt docentes: Electos & justificatos semel, per peccata regnantia non amittere fidem & Spiritum sanctum.

Ergò

15. Falsissimi sunt scribentes: vocabu-

cabulo *mundi* in Scriptura sacra notari non totum genus humanum, sed solos ex mundo electos.

Ergò

16. Falsissimi Pontificii, homini Christiano semper de salute sua dubitandum esse asseverantes.

LOCUS XIII.

DE JUSTIFICATIONE.

RESPONDIT

M. ANDREAS KESLERUS, Coburgensis, Francus.

I.

ACtum est de *Prædestinatione*: Sequitur locus de ejus executione, hoc est, *Justificatione*, quæ rotundè definitur ex Scriptura: *fidei Christi satisfactionem in Evangelicis promissionibus apprehendentis ad justitiam imputatio.*

2. Verbum justificationis Ecclesiæ est proprium, & accipitur in sensu forensi, quia notat actum judicialem, in quo est reus, debitum, accusator, tribunal, advocatus, testis, chirographus, judex, absolutio: quia item in Scripturis opponitur condemnationi, *Proverb 17. v. 15. 1. Reg. 8. v. 32. Esa. 50. v. 8. Matth 12. v. 37. Roman. 8. vers. 33. & 5. v. 16.* Confer *Luc. 18. v. 14.*

3. *Errant* igitur Pontificii, qui statuunt justificationem significare propriè mutationem ad justitiam, justificare, justum facere, justificari, justum fieri, vel justitiā accipere, aut justitiam infundi: *Errant*, dum faciunt justificationem *primam*, quando ex injusto fiat justus, ex peccatore bonus &c. & *secundam*, quando justus majori justitia augeatur. *Errant* Calviniani infantes aliter atque adultos justificari docentes.

4. *Causa effiicens* justificationis im-

impulsiva interna & primaria est Dei misericordia, *Tit. 3. v. 4. Rom. 3. v. 24. Ephes. 2. v. 4. 1. Iohan. 3. v. 1. Ephes. 5. v. 25.* Causa efficiens impulsiva externa est nostra miseria, *Ioh. 3. v. 16. Matth. 18. v. 11. Galat. 4. v. 5. Hebr. 2. vers. 15.*

5. *Errant* igitur Pharisæi, Justitiarii, & Pontificii, qui confidunt in seipsis, quòd sint justi, *Luc. 18. vers. 5.* *Errant* negantes, unà cum Photinianis, nos justificari gratis, sine operibus: *Errant* statuentes nos justificari per justitiam quandam inhærentem & infusam: Item in hominibus esse quasdam qualitates, quas DEUS respiciat, & propter eas homines accipiat in gratiam: *Errant* graviter doctrinam gratuitæ justificationis cum *Costero* doctrinam Dæmoniorum appellantes. *Errant* Calviniani, negantes misericordiam DEI esse universalem: *Errant* dicentes DEUM maximam hominum partem æter-

no exitio devoviſſe, & ad interitum creaſſe, hoc eſt, *errant* condentes abſolutum ſuum Decretum: *Errant* Photiniani, alium fuiſſe modum juſtificationis in Veteri, quàm in Novo Teſtamento ajentes, fidem etiam per obedientiam legis deſcribentes, fidem opus liberi arbitrii, & gratiã, quâ juſtificamur abſolutam, quâ ex mero voluntatis divinæ beneplacito ſine ulla ſatisfactione intercedente, peccata remittantur, ſtatuentes.

6. *Cauſa* juſtificationis *meritoria*, eſt *Chriſtus mediator & redemptor*, qui verè eſt עבד יהוה factus Patri obediens uſq; ad mortem, *Philipp. 2. v. 8.* factus nobis à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemptio, *2. Corinth. 1. verſ. 29.*

7. *Errant* igitur Pontificii fingentes juſtificationem operum, ſacrificium Miſſæ, Mariam noſtram mediatricem, redemptricem &c. voci-

tan-

tantes, semetipsos flagellantes, proprioque livore peccata expiantes, &c. *errant* cum Stancaro, Christum mediatorem nostrum esse tantùm secundum humanam naturam asserentes: *Errat* non minùs cum Scholasticis Calvinus *lib. 2. Instit. cap. 17. sect. 1.* ajens, Christi satisfactionem non omnimodò fuisse necessariam; *errant* contendentes Christum pro solis Electis satisfeciisse & mortuum esse: *errant* defendentes Christum sola obedientia passiva, non etiam activa, pro nobis satisfeciisse.

8. *Instrumentalis* justificationis *causa* duplex est: altera vocatur offerens, altera conferens: Illa sunt manus Dei, ὡς δοτικὴ, hoc est, Verbum & Sacramenta: hæc est manus nostra mendica, ὡς λυτικὴ, id est, Fides, quæ cùm in se comprehendat tria, 1. notitiam, 2. assensum, 3. fiduciam, succinctè ita definitur: *Fides est gratiæ*, (id est, favoris, benevolentiæ, dile-

ctionis, misericordiæ, beneficentiæ) *in promissionibus Evangelicis fiducialis apprehensio.*

9. *Errant* igitur Pontificii docentes homini Christiano de salute suâ perpetuò dubitandum esse: *errant* in suis propositionibus universalibus: *errant* in objecto fidei, dum invocant Sanctos: *errant* verbum Dei extenuando, & Sacramentis fines effectusque spurios assignando. *Errat* Pistorius Apostata, scribens, Abrahami fidem respexisse tantùm in promissionem suæ familiæ, & in genere credidisse DEO, quòd sit potens ad præstandum promissa, *in hodoget. p. 223.* *Errant* soli Fidei vim justificam furando, & Luthero propter vocula m Allein dicam scribendo. *Errant* in jactatione & pomposa deprædicatione suorum operum. *Errant* fidenos & operibus simul justificari disputando. *Errant* statuendo gentibus & exempli causa, Socrati, non incogni-

cognitum fuisse Christum crucifixum, (*vide Andrad. lib. 3. p. 292. 295. & confer Sleidan. lib. 22. pag. 748.*)

10. Sed circa hæc non errant Calviniani, scilicet! Annon enim more Pontificiorum verbum Dei accusant obscuritatis, & inefficaciæ? & irrationabilitatis? nonne negant Sacramenta conferre gratiam? annon docent cum Bellarmino *libr. 1. de Sacram. Baptis. c. 9.* infantes justificari fide aliena? annon fidem ex articulo prædestinationis volunt exclusam? annon dicunt bona opera necessaria esse ad salutem? annon dicunt non solos credentes esse filios Dei? annon cum Pontificiis dicunt gentilibus Christum crcifixum fuisse cognitum? annon Gentiles æternæ participes faciunt beatitudinis? annon fidem in cor Senecæ Ethnici scribunt, cùm vel virtutes eorum splendida fuerint peccata, affirmante Augustin. *lib. 9. de civ. Dei, cap. 15.*

annon ipsorum dogma est, renatos Spiritum sanctum & fidem amittere haud posse?

11. Formalis justificationis causa est fiducialis Christi apprehensio cũ omnibus beneficiis, ex *Johan. 1. v. 12. Hebr. 4. v 16. & 9. v. 15.* circa quam *errant* Pontificii affirmando Fidem nudam tantùm notitiam, aut assensum esse: *errant* in disputatione de Fide informi, & formata, implicita & circulari, de dubitatione, de justitia inhærente, & imputatam justitiam amentissimam insaniam, & spectrum cerebri Lutherani nominando &c. *errant* Calvinistæ multifariã in ædificatione absoluti sui decreti.

12. Finalis justificationis causa est Dei gloria, *Rom. 3. v. 25.* pax tranquillæ conscientiæ, *Roman. 5. v. 1.* & hominis beatificat, *Roman. 4. v. 6. 7. Psalm. 32. v. 1.* contra quam errant Pontificii operibus suis fictè supererogando, à Deo mercedem superbè postu-

postulando: Papam Ecclesiæ Sponsum & Christi vicarium vocitando, semetipsos Christum faciendo: *Errant* Calviniani in absoluto decreto, in causa peccati, in persona, in Activa & Passiva obœdientia Christi, & aliis.

13. Eat nunc Paræus cum suis, & dicat Calvinianos nobiscum in articulo justificationis esse orthodoxos, & stare contra Pontificios: Syncretismum foveant quicunque velint: nos justificationis articulum, qui Luthero arx & metropolis est salutis nostræ, sic tradimus, ut in tabulis divinis proponitur, à quo qui dissentit, manifestum expectet interitum.

LOCUS XIV.

DE BONIS OPERIBUS.

RESPONDIT

JOHANNES KAUFMANNUS, Zeulensis, Francus.

Bona

I.

BOna opera, *inquit Augustinus*, non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum. Sicut enim motus & sensus non sunt causa vitæ hominis sed vitæ effectus: ita & bona opera: & sicut ille qui negat motũ & sensum causam esse vitæ; non negat ea vel esse, vel ex vita sequi; ita qui negat bona opera esse causam justificationis, non negat ea ejus esse effectum, & illa facienda esse: ex quo statim refellitur, calumnia Pontificiorum declamantium nos prohibere bona opera, quam ipsam vel patibula nostra refutant.

2. Bona opera dicimus, quæ fiunt à fidelibus, ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta, juxta normã legis divinæ, ad gloriam DEI, ex *Ezechiel. 20. v. 19. Numer. 15. v. 39. Deut. 4. v. 2. & cap. 12. v. 8. & cap 28. v. 13. 14. Matth. 15. v. 9. Roman. 14. v. 25.*

1. Ti-

1. Timoth. 1. v. 5. Hebr. 11. v. 4. & 6. Matth. 5. v. 16. 1. Cor. 10. v. 31.

3. Facienda igitur sunt bona opera propter DEUM & homines. 1. *Deum*, nos ad illa creantem. 2. mandantem & requirentem. 3. omissa bona & commissa mala punientem. 4. vocantem, ne stemus otiosi. 5. Christum redimentem, *Luc. 1. Tit. 2 1. Petr. 4* Spiritum sanctificantem, *1. Thessal. 4. v 5.* Homines, 1. ad non scandalizandum. 2. sed fidem ostendendum & doctrinam Servatoris in omnibus ornãdum. 3. opera caritatis exhibendum. 4. ad præmia spiritualia & corporalia consequendum. 5. ad Deum glorificandum &c. Iterum ergò faceſſat Papistarum de nostra bonorum operum prohibitione calumnia.

4. Faceſſant etiam opera, quantumvis speciosa Gentilium, nec tantoperè laudetur distinctio bonorum operum in interna & externa, sed vitan-

tandæ ambiguitatis ergò inter bonitatem rectè distinguatur.

5. Sed & facessat distinctio Pontificiorum inter opera legis & gratiæ, quæ tamen ex mente Lutheri retineri potest, sic rectè explicetur ac commodâ distinctione emoliatur.

6. Facessat Bellarmini disputatio justorum opera esse verè bona & in se se, & ipsam actualem justitiam. Rectè enim dictum est à Luthero & nostratibus Theologis, etiam renatorum opera esse peccata; quod dum exagitat Jesuita, Isthmum perfodit.

7. Facessat sententia eorum, qui dicunt bona opera conservare salutem: Bona namq; opera ad salutem se habent non ἡγεμένως, ut eam antecedat, sed ἑπομένως, ut eam consequatur, non ποιητικῶς, ut ejus causa sint Efficiens, non φιλακτικῶς καὶ σωστικῶς, sed σημαντικῶς.

8. Facessat Propositio, quam superioribus temporibus nonnulli super-

perbè tuebantur: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Fuit enim ea etiam Pseud-Apostolorum, *Actor. 15. v. 1.* & Paulus eam rejicit, *Roman. 4. v. 6.*

9. Facessant omnes cultus Electitii, & bona intentio Papistarum: Bona enim opera non ex nominibus, sed ex Adverbiis sunt judicanda, ut habet regula usitata.

10. Deniq; facessant Antinomi, & eò abeant, quo legem Mosaicam ablegabant, negantes tertium usum legis, qui est, ut lex sit norma bonorum operum, in quibus renati sese exerceant. *Vide de hoc sex disputationes B. Lutheri, quæ extant tom. 7. German. Jenensi.*

LOCUS

LOCUS XV.

DE CHRISTO.

RESPONDIT

GEORGIUS EISENBINNERUS, Coburgensis, Francus.

I.

ACtum est de justificatione & bonis operibus; justificationis autem Tibicen & suggrunda, principium, medium, finis, Alpha & Omega, est Jhesus Christus. Quis verò est Jhesus Christus? Filius DEI vivi, *Matth. 16. v. 16.* proprius, *Roman. 8. v. 32.* unigenitus, *Johan. 1. v. 18.* æternus, *Psalm. 2. v. 7. Actor. 13. v. 33. Hebr. 1. v. 5 & 5. v. 5.* qui in plenitudine temporis ex Maria virgine, assumptâ verâ & perfectâ humanitate in personæ suæ unitatem, verus homo natus est, unicus humani generis redemptor, ex qua nostra definitione refutamus omnes hæreticorum,

rum, & imprimis Photinianorum, vanissimas stoliditates.

2. Jhesus dicitur ab officio, quod est in salvando & beando, *Matth. 1. vers. 21. Actor. 4. v. 12. & 10. v. 43.* Unde rectè Galatinus: Hoc nomen Jhesus, *inquit*, totum salutis nostræ processum, principium scilicet, medium, & finem continet sufficienter. Quare & cætera nomina omnia in se includit. Ideò magis hoc nomine, quàm alio aliquo Messias nominari debuit.

3. Jhesus, si vim nominis spectes, dicitur ab Hebræo יֵשַׁע quod est salvavit, & nihil aliud quàm salvatorem, aut si cum Cicerone loqui velis, servatorem sonat, quanquam, faventeCicerone, vocabulo σωτῆρ & καὶ τὸ σώζειν, plus significetur, quàm voce Servatoris, aut servandi, quæ causa movit Doctores Ecclesiæ, ut nomine Salvatoris, & verbo salvandi, magis fuerint usi, quàm altero.

Interim concedimus rectè etiam Deum Patrem dici Salvatorem, sive Servatorem, *1. Tit. 3. v. 5.* Concedimus etiam, Josuam filium Nun, & Josuam Sacerdotem, figuras veri Jhesu gessisse, sed nomine Jhesu eos vocatos fuisse, minimè concedimus, vide *Bernhard. super missus est homil. 3. fol. 38 & Galatin. lib. 3. de arcanis Catholicæ verit. cap. 20.* & *nota*, quòd mirè hîc ineptiat spiritus Calvinisticus, dùm locum insignem *1. Tim 4 v. 10.* exponit non de vitæ æternæ & spiritualis salutis datore; sed autore liberationis à periculis vitæ hujus, à persecutionum tempestatibus & jactationibus, à probris & contumeliis. *(Polanus in Syntagm. Theol. & Piscat. in Bibliis German.)*

4 Christus sive Messias dicitur ab unctione: Messias Hebraicè, Latinè unctus, Græcè Christus est. Ab unctione enim dicitur CHRISTUS. Chrisma unctio est Græcè. Ergò Chri-

Christus unctus est. Ille singulariter unctus, præcipuè unctus: unde omnes Christiani unguntur, *Augustin. tract. 7. in Johan.* Singulariter, *inquam*, quia Reges & Sacerdotes Veteris Testamenti pari modo uncti non sunt.

5. Unctus est, non oleo illo sacro, sive materiali *3. Reg. 1. v. 39. Exod. 30. v. 25.* sed Spiritu sancto sine mensurâ, *Joh 3. v. 34.* hoc est, ut exponit *Tertullianus*, cum omni suâ redundantiâ, in qua unctione dona accepit infinita, & increata, & quòd unctio circa humanitatem sit, nequaquam dubitaverit quisquam eorum, qui rectè sapere sunt consueti, *inquit (contra Calvinistas) Damascenus lib. 4. de orthod. fid cap. 6.*

6. Nos igitur hoc nomen Christi personæ esse dicimus, non unimodè dictum, sed duarum naturarũ significativum: Ipse enim seipsum unxit, ungens quidem ut DEUS

suâ Deitate corpus: Unctus autem ut homo: Nam ipse est & Homo & illud. Deitas est unctio humanitatis, *Damascenus lib. 3. de orthod. fid. cap. 3.* & cum Christum dicis, & Pater à quo unctus est, & ipse qui unctus est, & Spiritus S. per quem unctus est, intelligitur, *Ambros.*

7. Itaque duæ, exq; distinctæ, in Christo sunt naturæ divina & humana: unde dicitur θεάνθρωπος: Quòd verus Deus sit, probant 1. ipsi toties tributa appellatio Jehovæ. 2. attributa solius DEI propria. 3. Ecclesiæ collectio & gubernatio. 4. operæ, quæ efficit merè divina. 5. Cultus adorationis. 6. Substantialis imago Patris. 7. Unitas cum Patre & Spiritu sancto. 8. Opus Creationis &c.

8. Quòd verus homo sit, probant 1. Hominis appellatio. 2. Definitio. 3. Partes essentiales. 4. Nativitas. 5. Effectus. 6. Affectusque humani. Pro illo non est Christus mortuus, qui

qui Christum verum hominem negat, quia est mortuus secundum hominem, *Augustin.*

9. Cæterùm, sicut à Messia Prophetæ & reliqui Sancti olim vocabantur quasi Messiani; *Psal. 105. v. 15.* ita & à Christo dicuntur Christiani, *Act. 11. 26.* Et sicut filius DEI rectè vel in Veteri Testamento vocatus fuit Messias, ita etiam inde ab Abrahamo omnes credentes fuerūt Christiani, *juxta Euseb. lib. 1. histor. Eccles. c. 1.* & tamen Antiochiæ incipiebat esse communis titulus omnium in Ecclesiâ, tanquam à perenni fonte sumto vocabulo, *juxta eundem Eusebium lib. 2. cap. 3.*

10. Malè igitur faciebant Corinthii, quòd dicebant: Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego Cephæ, *1. Cor. 1. v. 12.* quandoquidem, rationem reddente Apostolo, Christus divisus nō est, nec Paulus pro ipsis crucifixus, nec illi in Pauli nomē baptizati erāt.

Malè Pontificii dicunt, Ego sum Augustini, Ego Franciſci, Ego Bernhardi &c. ad imitationem Corinthiorum: Malè Jeſuitæ id nominis suæ ſocietati ſoli arrogant. Nam hujus nominis etiam Electi in suâ ſpirituali circumciſione participes exiſtere gaudent, ut, ſicut à Chriſto Chriſtiani, ita etiam à Salvatore ſalvati vocentur. *Beda tom. 5.* Malè Pontificii ex Matth. 16. Eccleſiam ſuam fundant in Petro: Non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra; ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur, Auguſtinus *tractat. 124. in Johann. & Ambroſius ſerm. 48.*

11. Denique, cùm nos invariatæ Auguſtan. Confeſſ. addicti, Chriſtiani ſimus, rectènè nominamur Lutherani? Reſp. quidni? Bellarminus *libr. 4. de notis Eccleſ. c. 4.* propterea hæreſeos notam nobis inurere vult; Nihil agit! Calviniani id ipſum ægrè ferunt, Cucurbitas lippiunt!

12. Nec

12. Nec obstant nobis, ut putant Embdenses, Lutheri verba *tom. 2. VVittebergensi German. (edition. Anno 69.) fol. 4. §. 4. & Tom. 2. Jhenensi (edition Anno 72.) fol. 63 §. 4.* Nicht also du Narr / höre vnnd laß dir sagen; Zum Ersten bitte ich / man wolte meines Namens geschweigen / vnnd sich nicht Lutherisch / sondern Christen heissen? Ist doch die Lehre nicht mein / so bin ich auch vor niemand gecreutziget &c *Item tom. 2 Jhenensi*, von beyder Gestalt das Sacrament zu nehmen. *part. 2 fol. 92. §. 4.* War ists / daß du ja bey Leib vnd Seel nicht solt sagen / Ich bin Lutherisch / oder Papistisch / denn derselben ist keiner vor dich gestorbē / noch dein Meister / sondern allein Christus / vnd solt dich Christen bekennen &c.

LOCUS XVI.

DE UNIONE PERSONALI.

RESPONDIT

JOHANNES WAGNERUS,
Hilperhusâ-Francus.

I.

DIsputatum est de Christo, tùm quoad *quid nominis*, tùm quoad *quid rei*; qui cùm verus DEus sit & verus homo, jam de Unione duarum naturarum agendum, quam, cum Damasceno, vocamus ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, sive personalem, quia in ipsam personam τοῦ λόγου assumpta est natura humana, ita ut in ea suam habeat subsistentiam, adeoq; naturarum una eademq; sit ὑπόστασις, *l. 3. de orthod. fide, cap. 7.*

2. Personalem, *inquam*, à termino ad quem, quia, ut dictum, humana natura in ὑπόστασιν τοῦ λόγου assumpta est,

est, & in illa subsistit; ubi tamen non negamus rectè quoque dici essentialem & naturalem, ex sensu & explicatione *Damascen. l. 3. O. F. c. 3.* nec improbamus, quòd pia vetustas eam vocavit ἐνσάρκωσιν sive ἐνανθρώπησιν, ἐνσωμάτωσιν; Nam hæ appellationes fundatæ sunt *Joh. 1. v. 14. 1. Tim. 3. v. ult. Hebr. 2. vers. 14. Colloss. 2. v. 9.* Unio *Eutychis* & aliorum secundum massam, secundum mixturam; Unio *Maxentii*, socialis; Unio relativa *Nestorii*, Unio honoraria *Arii*, Unio accidentalis, quocunque modo fingatur aut pingatur, hinc facessant.

3. Nos illam ex Athanasiano Symbulo hîc rotundè definimus: *Unio personalis est assumtio humanitatis in Deum* λόγον; vel ut habet editio Commeliniana accuratissima, εἰς θεότητα; vel ut loquitur Fulgentius, *in personæ sublimitatem*, hoc est: *Unio personalis est veræ & perfectæ humanæ naturæ ex*

substantia Mariæ semper-Virginis in ipsam personam Filii Dei assumtio; facta, ut antiquitas sincerè loquitur contra tot hæreticos, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀναλλοιώτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, ἢ ἀδιαστάτως, *ideoq;* ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ πᾶσαν κατάληψιν, *adeoq;* non καὶ παράστασιν, sicut Angeli assumsisse leguntur corpora, sed καὶ ὑπόστασιν, modò singulariter mirabili, & mirabiliter singulari; facta, in ipso conceptionis momento, facta, in utero Virginis per obumbrationem Spiritus sancti, *Luc. 1.* facta, si Bucholtzeri sequamur supputationem, Anno Mundi 3970. die 25. Martii, adeoque in temporis plenitudine, *Gal. 4. v. 1.*

4. Explicantur hæc omnia à Theologorum Aquila, *c. 1.* hoc brevissimo Aphorismo: *Verbum caro factum est*, ubi per carnem totam intelligit substantiam humanam, per Synecdochen: ὅλη ἡ χεφὴ, ut inquit Theophylactus, ἀντὶ δὲ μέρους πολλάκις ὀνο-

ἐνοικάζει τὸ ὅλον; & carnem intelligit non peccatricem, sed infirmam; nullo enim, *inquit Theophilus Alexandrinus*, quod nostræ similitudinis est, caruit Christus, nisi solo peccato & malitiâ, quæ nullam habet substantiam; & suscepit nostram tristitiam, *ait Ambrosius*, ut suam nobis largiretur lætitiam; attamen non ex necessitate, sed ex libertate, imò & sua ex liberalitate. Natus enim est homo DEUS, ut liberaretur homo reus, (contra *Petrum Abailardum* apud *Bernhard. Epist. 190.* & Pelagianos apud Cassian. *l. 1. de incarn. c. 3.*)

5. Hinc concludimus firmiter: 1. nullum hujus unionis exemplum dari tota in rerum universitate; similia Justini Martyris, Cyrilli, Athanasii de unione animæ & corporis, ferri & ignis, Solis & lucis &c. suo in loco relinquentes: Petri Martyris & aliorum Calvinistarum ab arbore, orbibus Planetarum, Oceano, Anver-

verpiano &c. repudiantes; disputationes de possibilitate incarnationis apud Scholasticos & Jesuitam Greg. de Valent. *tom. 4. disp. 1. q. 1. p. 2. f. 8. & seqq.* valere jubentes: 2. Cùm mysteriũ manifestationis Dei in carne magnum sit, *1. Tim. 3. v. 16.* Deum & hominem terminos in Logicis esse disparatos, contra Goclenium & adhærentes. 3. Formam Unionis personalis esse τῶν φύσεων εἰς ἄλληλα περιχώρησιν, ut piissimè loquitur Damascenus *libr. 3. O. F. c. 4.* hoc est, assumtionem in personæ unitatem, sive unitionem in uno ac eodem ὑφισταμένῳ, ad quam nec temporum nec locorum διαστήματα pertingunt. 4. Actum considerandum esse duplicem in natura Christi humana, *personalem & naturalem*; *illum*, qui humanæ naturæ Christi proprius, *hunc*, qui ipsi cum aliis hominibus communis est. 5. Magnam blasphemiam esse asserere τὸν λόγον post factam

ctam ἐνανθρώπησιν esse vel existere extra suam carnem, vel, ut loquitur rabula *Danæus*, unam naturam extra alteram locari rectè posse affirmantes.

6. Porrò licet solum Verbum factum sit caro, *Johan. 1. v. 14.* (non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat, juxta versiculum Antiquitatis; *Sum quod eram, nec eram quod fum, nunc dicor utrumq;*) piissimè tamen & rectissimè opus incarnationis toti attribuitur Trinitati, cùm opus sit ad extra.

7. Cæterùm ex personali Unione resultant, tùm propositiones, sive, ut alii loqui malunt, *prædicationes personales*, tùm *communicatio Idiomatum*, quæ ex regula Nazianzeni talis est, qualis ipsa Unio, hoc est, non verbalis, sed realis, ut docebitur *loco sequente*.

8. Prædicationes personales extant *Matth. 16. v. 13. 16. Luc. 1. v. 35. Matth.*

Matth. 1. v. 11. 23. Joh. 1. v. 14. Jerem. 23. v. 5. 6. 1. Corinth. 15. v. 47. Ubi de Filio Dei prædicatur, quòd sit homo, & de Filio Mariæ sive hominis, quòd sit Deus; de quibus sic quæras, an usitatæ, regulares ac Logicæ, tropicæ, figuratæ ac Rhetoricæ sint, respondemus cordatè, per inficiationem, hujus vel illius superbam curiositatem nihil curantes. *Vide Chemnit. in lib. de duabus Naturis c. 5. & passim ex Theodoreto, Damasceno, Cyrillo, Athanasio.*

Coronis in gratiam quorundam Philosophantium.

9. Denique superiùs Unionem accidentialem, quocunq; etiam fingatur aut pingatur modo, facessere jussimus. Quid verò si ei videantur subscripsisse Patres? Etenim Augustinus *libr. 83. quæstion. q. 73.* docet, formam servi, *Philipp. 2.* accipi pro habitu sive veste, vel alio simili quod corpori adjaceat, fatente & prolixè osten-

ostendente Gregor. de Valen, *tom. 2. in Thom. disp. 4. quæst. 1. punct. 1. fol. 456. §. 4.* Unde factum, ut quidam, fulti autoritate Augustini, affirmârint Unionem Verbi & humanæ naturæ fuisse accidentalem, ut indicat Magister Sententiar. *in 3. distinct. 26.*

10. Quid quod alii ex Patribus dicunt, Christum carne, sive corpore nostro simili, indutũ esse, quæ phrasis est non tantùm Ignatii *in Epist. ad Trall.* & Cypriani *(de idolor. vanitat.)* quem Augustinus nominat Doctorem suavissium & Martyrem beatiss. simum, Ambrosii, *de fide c. 8.* sed & Athanasii *(in sermon. contra Arianos)* qui tamen Epiphanio audit pater rectæ fidei, Theodoreto προβολον τῆς ἀληθείας, Nazianzeno lumen Ecclesiæ, orbis Oraculum, Doctor certaminũ, magnum fidei sustentaculum?

11. Respodemus 1. verbis Lutheri *ex Tomo 1. Wittenberg.* Nulli fuerunt unquam Patres aut Doctores, qui

qui non impropriè sunt locuti, si dicta illorum cavillari velis: Sedulius Poëta Christianissimus canit: *Beatus autor seculi, servile corpus induit*, idq; per totam Ecclesiam: Cùm nihil possit dici magis hæreticum, quàm naturam humanam esse vestē Divinitatis. Non enim vestis & corpus constituunt unam personam, sicut Deus & homo constituunt unam personam, tamen piissimè sensisse Sedulium, cætera carmina probant evidentissimè. 2. Similitudines igitur latiùs quàm fert scopus, extendi non debent. 3. & Patrum ista, in hoc tertio instituitur, *sicut homo videtur per vestem, ita Verbum per humanitatem assumtam*; quæ responsio est Thomæ Aquinatis *part. 3. q. 2. art. 3. ad 1.* 4. Nec enim necessum est ut exemplum per omnia sit simile, *Damascen. lib. 3. de O. F. c. 24.* nulla similitudo, *dicunt & docent Logici*, infert identitatem. Etenim si simile non

non esset dissimile, simile nunquam esset. §. Adde quod *Epist. ad Hebr. 10. v. 20.* carnem Christi velum appellat.

LOCUS XVII.

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

RESPONDIT

LEO HOFMAN,

Rodacensis, Francus.

I.

Communicatio Idiomatum est participatio propriorum divinæ & humanæ naturæ ab alterutra vel utraq; in Christo realiter facta. Unde orta est regula Leonis Papæ *Epist. 41. ad Palæstinos:* Non interest, ex qua Christus substantia nominetur, cùm inseparabiliter manente unitate Personæ, idem sit & totus hominis filius, propter carnem, & totus DEI

filius, propter unam cum Patre Deitatem.

2. Quæ Communicatio licet ab unione personali multis differat modis, rectè tamen Patres, communicationem & Unionem dicunt promiscuè. Nec moramur hîc, quòd introducta est appellatio à scholasticis, quicquid etiam ganniat Antonius Sadeel: εἰ δὲ τὰ πράγματα ὁμολογῶμεν, τί δήποτε φεύγομεν τὰ ὀνόματα, *inquit Theodoretus Dial. 2.*

3. Genera communicationis facimus *tria*: *primum* est τῶν ἰδιωμάτων, cum propria naturarum communicãtur personæ in Concreto, & interdum particulæ adhibentur Διακριτικαὶ, χωριστικαὶ, διαιρετικαὶ, *Roman. 1. v. 3. & 9. v. 5. 1. Petr. 3. v. 18. & 4. v. 1. Ephes. 2. v. 14. Coloss. 1. v. 22.* Vide Dn. Chemnit. *in libr. de duab. natur. pag. 199.*

4. Hoc genus nominatur à Nazianzeno Σύγχυσις ὀνομάτων, *à Theodoreto*

doreto ἀναλλαγὴ καὶ κοινωνία ὀνομάτων, à Cyrillo ἰδιοποίησις vel ἰδιοποίησις à Damasceno οἰκείωσις, ἀντίδοσις καὶ ἀλλοίωσις: non eo sensu quo Cinglius, cujus ἀλλοίωσις verè, *effante Luthero*, Diaboli est larva.

5. *Secundum genus* est τῶν δόξων, sine divinæ gloriæ & majestatis Christo homini in tempore ex gratia datæ, & divinis actionibus, ut loquitur *Damasc. lib. 3. c. 17. & 15.* ditatæ.

6. Ab Apostolo vocatur ὑπερύψωσις, *Philipp. 2. v. 9.* Athanasius nominat βελτίωσιν καὶ θεολέγωσιν, Nazianzenus θέωσιν, quia caro facta est ὁμόθεον, hoc est, (ne glorientur Eutychiani ac Suenckfeldiani) in & intra verbum Dei assumta: Basilius & Damascenus μετάδοσιν, καὶ μετοχὴν θείας δυνάμεως, hoc est, ut Theologi communiter loqq. communem majestatis, *Leo Papa* provectionem humanæ naturæ. Cyrillus *(lib. 4. in Johann. cap. 23.)* & Epiphanius *libr. 3.*

tom. 2. contra Dimærit.) elevationem ad virtutem melioris καὶ προσθήκην μεγάλην: quæ provectio sive προσθήκη, ἢ ὕψωσις ἐστι τῆς ἀνθρωπότητος, *vide Athanas. orat. 2. contra Arian*: nec naturam humanam, ut cavillantur Calviniani, interficit, sed perficit, quicquid etiam de impossibilitate Communicationis propriorum reblaterent.

7. *Tertium genus*, quod alii faciunt secundum, est τῶν ἀποτελεσμάτων, quando utraque natura in Christo agit cum communicatione alterius, quod cujusq; est proprium: Unde Cyrillus vocat κοινοποιΐαν, ἢ κοινοποίησιν, Damascenus περίφρασιν, quia, ex regula Theologica, *nomina officii Christo competunt secundùm utramq; Naturam*. Et hûc pertinent actiones Deiviriles, *vide Damascen. libr. 3. orthodox. fid. c. 19.* Item Christi miracula, in quibus edendis carnem suam quasi cooperationem adhibuit,

buit, ut piè contra Calvinianos loqq. & sentiunt Cyrillus *libr. 4. cap. 14 in Johan.* & Athanas. *contra Arian. serm. 4.* Unde evidenter sequitur, quod aliud sit ἐνεργητικὸν, ἐνέργεια, ἐνέργημα, καὶ ἀποτέλεσμα, quod discrimen non observant, qui docent, solam humanitatem Christi esse passam, adeoq; à Nestorianismo ac Stancarismo vix uno digito absunt. *Sed de Christi officio agetur loc. sequente.*

8. Interim relegamus ex Christiano orbe Monophysitas, Monothelitas, & gregalitas, qui, ut loquar cum Tertulliano (*libr. de carne Christi*) mendacio Christum dimidiant, qui totus veritas est, *hoc est*, in Christo unam saltem naturam, unam voluntatem, unam actionem relinquunt de quo errore vide Damasc. *lib. 3. cap 15.* & Thomam *part. 1. quæst. 18. artic. 5. & 6.*

9. Sic etiam urbe excedere jubemus Nestorium, Mariam quidem

χριστοτόκον, non autem θεοτόκον, vocantem, uti testantur Socrates & Evagrius *lib. 1. cap. 7.* & Gennadius *libr. 7. cap. 32.* cujus hæreticam opinionem, quam & Calviniani fovent, refutatam vide à Damascen. *lib. 3. O. F. cap. 12.*

10. Et contrà notamus regulas Damasceni: 1. Naturæ in Christo significantur per vocabula abstractiva, humanitatis scilic. & Deitatis. 2. Persona exprimitur vocabulo concretivo, nempe DEI ac hominis. 3. Nomina Concretiva sumuntur à sublimioribus (*ut cùm dicitur, primogenitus creaturarum, splendor, character, imago, sapientia Patris*) vel ab humilioribus (ut cùm dicitur, germen Davidis, radix Jesse, filius fabri, filius hominis &c.) 4. Deitati nunquam competūt humanitatis propria, nec contrà: quæ duæ posteriores regulæ, ut rectè intelligantur, adde illam *Justini Martyris*: Cùm de uno filio

vo-

voces inter se diversas audieris, convenienter ea, quæ dicuntur inter se collata naturis distribue: Si quid magnum & divinum, naturæ divinæ asscribens: Sin parvum & humanũ, humanæ imputans. Hoc namque pacto tùm vocum differentiam evitabis, qualibet quod sibi insitum est naturam recipiente: tùm unum filium & ante omnia secula & recens editum de sacrarum literarum scientia profiteberis. Eadem hæc regula est apud Theodoret. *Dial. 2.*

11. Ἐν προθήκῃ notamus etiam regulam Athanasii oppositam Arianis, Eunomianis, & aliis: *Quæcunq; scriptura dicit in tempore Christo data esse, illa de Christo intelligenda sunt, non secundùm Deitatem, sed secundùm assumptam humanitatem*: secundùm quam ipsi data est omnis potestas in cœlo & in terra, *Matth. 28.* æternum imperium, *Daniel. 7.* potestas judicii, *Johan. 5. Actor. 17.* omnis principa-

tus, *Psalm. 110. Ephes. 1. v. 4. Philipp. 2.* vis vivificandi, *Johan. 6.* adorabilitas, *Philipp. 2. Hebr. 1. &c.*

LOCUS XIIX.

DE OFFICIO CHRISTI.

RESPONDIT

NICOLAUS Wirsing / Ecclesiæ & Scholæ Hilperhusanæ Cantor.

I.

OFficium *Christi* est salvum facere populum à peccatis, *Matth. 1. v. 21.* destruere opera Diaboli, *1. Joh. 3. v. 8.* esse mediatorem inter Deum & hominem, *1. Tim. 2. v. 5.* redimere peccatores à maledicto legis, *Esai. 53. Rom. 5. Psal. 130. Johan. 1. 1. Tim. 1. & passim.*

2. Unde statim refellitur Error Stancari, Suenckfeldianorum, Petri Lombardi *libr. 3. distinct. 16.* Thomæ, Jesui-

Jesuitarum disputantium, Christum esse tantùm mediatorem secundùm naturam humanam, contra quos sic pronunciat Augustinus *in homil. de verbis cap. 12.* Inter Divinitatem solam, & humanitatem solam mediatrix est humana Deitas, & divina humanitas.

3. *Officium Christi* triplex est, *Propheticum*, *Sacerdotale* & *Regium*. A Prophetico, dicitur Propheta ille magnus, *Deuter. 18. v. 18.* ubi princeps locus est totius libri, & planè expressa Prophetia de Christo novo Doctore, ut ait Lutherus *tom. 3. Jenens. fol. 126.* quem & Petrus *Actor. 3. vers. 22.* & Stephanus *Actor. 7. v. 38.* de Christo exposuerunt. Judæi quidem unumquemque Prophetarum, qui post Mosen floruerunt, intelligunt. Sed obstat illis locus *Deuter. 34. v. 10.*

4. Ab hoc suo officio in Scriptura S. vocatur etiam magister, *Matth.*

23. v. 10. vel, quod idem est, Rabbi, sive Rabboni, *Johan. 3. v. 2. & 20 v. 16.* Apostolus nostræ Confessionis, *Heb. 3. v. 1.* præceptor gentiũ, *Esa. 55. v. 4.* legislator noster, *Esa. 33. v. 22.* nuncius pacis, *Ephes. 2. v. 17.* testis fidelis, *Apoc. 1. v. 1.* Episcopus animarum, *1. Pet. 2. v. 25. &c.*

5. Unde constat quidnam officium ejus Propheticũ sit, & quomodo illud exequatur, nempè 1. vaticinando de futuris, id quod præstitit, cùm intimas hominum cogitationes vidit, *Johan. 2. v. 25:* excidium Judææ & internecionem, gentium conversionem, Pharisæorum consultationes, Evangelii prædicationem universalem, Petri abnegationem, Judæ proditionem, discipulorum occisionem &c. prævidit & dixit. 2. arcanum Trinitatis ingrediendo & consilium de redemptione generis humani revelando, *Joh. 1. v. 18* 3. atq; sic ostendendo, se verè esse & dici

dici λόγον, *Johan. 1. v. 14.* angelum Jehovæ, *Geneſ. 48. v. 16. & 31. v. 11. 13. 29.* Aliquid enim præſens annunciavit, aliquid futurum prædixit: ex eo, quod præſens annunciavit, angelus erat, ex eo quod futurum prædixit, Propheta erat, *Auguſtin. tract at. 25. in Johan. tom. 9.* 4. Evangelium annunciando pauperibus, *Matth. 11. v. 5.* hoc eſt, iis qui ſentiunt, ſe gloria Dei deſtituti, & reos eſſe æternæ damnationis, *Eſai. 61. v. 1.* 5. Miniſterium docendi, & Sacramenta inſtituendo.

6. *A Sacerdotali officio* vocatur Sacerdos, *Pſal. 110. v. 4. Hebr. 5. v. 6. & 7. v. 17.* non ſecundùm ordinem Aaronis, ſed Melchiſedeci, in quo cùm ſe medium inter Deum ac homines ponat, Deum toti generi humano reconciliet, legi ſatisfaciat, & pro nobis intercedat (*quæ rotunda hujus officii definitio eſt,*) errant *Pontificii*, ſcribentes Chriſtum primò eo mune-

munere usum esse in postrema Cœna, cùm sub speciebus panis & vini incruento & admirabili modo se suo Patri obtulerit, vide Gregor. de Valent. *tom. 4. de officio Christi, Disput. 1. quæst. 22. punct. 3 & 4 & de sacrific. Missæ. cap. 4. probat. 1.*

7. *Sacerdotale* igitur *officium* his partibus absolvitur. 1. ut sit mediator & reconciliator inter Deum & homines. 2. ut legi satisfaciat, *Matt. 5. Roman. 10. Galat 3. & 4. 1. Timoth. 2. Johann. 12. Coloss. 1. v. 20. 22.* 3. ut pro nobis intercedat, pro transgressoribus oret, *Roman. 8. v. 34. Esai. 53. v. 10. 12.* & preces nostras ad Patrem perferat, *Johan. 14. v. 6. Ephes. 3. v. 12. Rom. 5. v. 2.* 4. ut nobiscum compatiatur, *Hebr. 4. v. 15.* tanquam misericors & fidelis Pontifex, *Heb. 9. v. 12.* 5. ut sacrificet, per proprium sangvinẽ in sancta introëat, *Heb. 9. v. 12.* seipsum hostiam offerat Patri in odorẽ suavitatis, *Eph. 5. v. 2.* & det vitam

suam

ſuam aſcham, *Eſai. 53. v. 10.* ô ergò officium beneficum! ô beneficium officioſum!

8. Porrò *ſatisfactio* Chriſti eſt in tota ipſius obedientia, quam vulgò in *Activam* diſtinguunt, & *Paſſivam*, hoc eſt, in impletione legis perfecta & paſsione pœnarum debitarum pro peccatis noſtris; vel, in *obedientia ſanctæ vitæ*, & in *obedientia mortis*. Non enim ſubſcribimus novæ opinioni *Johann. Piſcat.* non vitæ Chriſti ſanctitatem, ſed ſolam mortem Chriſti paſsionem, ſanguinem, crucem, eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis.

9. Itaq; Chriſti ſatisfactio fundamentum eſt *Interceſſionis*, quæ altera officii Sacerdotalis pars eſt, quia per meritum ſuum pro nobis apud Patrem intercedit: ex quo confutantur *Papiſtæ*, plures mediatorés ac interceſſores conſtituentes.

10. Officium denique Chriſti regium

gium est, quo secundùm utramque naturam regit, & gubernat omnia in cœlo & in terra, & inprimis in monte sancto suo, *Psal. 2. v. 6.* Unde vocatur rex æternus, *Esa. 9. v. 7. Psal. 49. vers. 7.* (non obstante, quod dicit Apostolus, ipsum traditurum esse regnum Patri, *1. Corinth. 15. v. 24.*) rex David, *Ose. 3. v. 5.* Rex super domum Jacob, *Luc. 1. v. 33.* rex justitiæ & pacis, *Hebr. 7. vers. 2.* rex regum & Dominus Dominantium, *Apoc. 17. v. 14. & 19. v. 16.* qui nos non tàm Sacerdotes, quàm reges facit, *Apoc. 1. v. 6. & cap. 5. vers. 10.* & opera exercet tùm vindictæ tùm gratiæ, dominans in medio inimicorum suorum, *Psal. 110. vers. 2. 1. Corinth. 15. v. 25.* ambulans in medio candelabrorum, *Apoc. 1. v. 12. & seqq.*

II. Si ergo rex est, utiq; regnum habet, 1. *Potentiæ*, quod est 1. in gubernatione cœli & terræ. 2. omnium creaturarum subjectione. 3. inimicorum

corum cohibitione. 2. Gratiæ, quod est in speciali gubernatione & conservatione Ecclesiæ. 3. *Gloriæ*, quod ipsum hîc in fide inchoatur, in futuro per gloriam consummatur, vide Luther. *tom. 1. lat. fol. 394. & tom. 2. Epist. pag. 203.*

12. Et si Christus officium suum secundùm utramque naturam exequitur, non duntaxat juxta divinam, sed etiam humanam, secundùm quã nostras etiã novit infirmitates, *Hebr. 2. vers. 18.* adorandus est: Nec obstat nobis Damascenus, quando docet Carnem Christi, ut creatam vel creaturam esse inadorabilem, *lib. 4. de orthod. fid. cap. 3.* Adorabilem esse statuimus *ex Psal. 97. v. 7. Daniel. 7. v. 14. Philipp 2. vers. 9. Actor. 7. v. 57. Apoc. 5. v. 11. &c.* Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem, ideò adoro, quòd à Divinitate suscepta, & Deitati unita est, ut non alium & alium, sed unum eun-

eundemq; Deum & hominem filium Dei esse confitear, *inquit Augustinus de verbis Domin. serm. 58.*

13. Contrà sic Lambertus *Danæus* Jeremiæ 17. maledictum pronunciat illum, qui fidit in homine, statuitq; carnem brachium suum. Cùm autem caro Christi vera sit caro, & homo Christus verus homo: qui licebit carnem Christi religiosâ adoratione prosequi? Si contra Danæũ & omnes χριστομάχους, pia antiquitas: Εἴ τις μὴ προσκυνεῖ τὸν ἐσταυρωμένον, ἀνάθεμα ἔστω: Si quis non adorat crucifixum, anathema sit, *Nazianzen. ad Cledon.* Si quis affirmat non adorandam Christi carnem, ut Domini & Dei carnem, hunc anathemizat sancta & Catholica Ecclesia, *Cyrillus in defens. anath. 8.* Lutheri judicio (*in cap. 33. Esaiæ*) Danæi dogma ab ipso Diabolo in Alcoranum insertum est. Videris si lubet, *Damascenum lib.*

lib. 3. O. F. cap. 8. & Dn Chemnit. *in libell. de duabus. natur. cap. 28.*

LOCUS XIX.

DE STATU EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS.

RESPONDIT

JOHANNES KäSMANNUS, Coburgensis, Francus.

I.

PEr ea, quæ hactenus dicta sunt, cogimur, sive rectè officiũ Christi intelligere volumus, distinguere inter exinanitionem Christi, & exaltationẽ: Illam sic definimus ex Epist. *Philip. cap. 2. v. 5. 7. 8.* Exinanitio est Jhesu Christi ἀνθρώπου humilis obedientia ad mortem usq; crucis.

2. Impium igitur, hoc est, Calvinianum est, dicere, Christum etiam quatenus Deus est, esse exinanitum: Impium & Nestorianum est, putare

Christum per suam istam κένωσιν, sive evacuationem, majestatem suam, aut Deitatis plenitudinem deposuisse, aut evacuasse. Non enim sic evacuatio est intelligenda, ut *Ruth. 1. v. 21.* ubi dicitur, plena abii, καὶ κενὴ revertor.

3. Sed de non-plenariâ usurpatione suæ majestatis & potestatis evacuatio intelligenda est. Quod erat, *inquit Bernhardus*, non semper apparebat. Id quod statim à conceptione habuit τῇ κτήσει, vel ἕξει, sive ut *Lyra* loquitur *(super cap. 28. Matth.)* autoritativè, hoc retinet in statu Exaltationis τῇ χρήσει, sive ἐνεργείᾳ, hoc est, ut iterum loquitur *Lyra*, executivè.

4. Atq; hûc pertinent similitudines de rege Minorenne, de rege Joas, *2. Reg. 11.* de Davide, *1. Samuel. 15. & 16. & 2. Samuel. 2. & 5.* de hærede adhuc infante *Gal. 4. v. 1.* Hûc spectat locutio Irenæi *lib. 3. c. 21.* Christus

stus crucifixus & mortuus est *requiescente* Verbo, ut posset crucifigi & mori. Et Athanasii: Hoc factum est Deitate quidem *acquiescente*, carnea autem insurgente: Et Cyrilli *6. Dialog.* Divina natura *conquievit* ad passionem. An ergò in passione divina natura otiosa fuit? Minimè omnium! Vide Dn. Chemnit. *in libel. de duab. nat. cap. 17. pag. edit. Lipsi. III.* & confer *Actor. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v. 8. 1. Pet. 4. v. 1. Act. 20. v. 28.*

5. Adeoq; pessimè habet allæosis Cinglii, Synecdoche Piscatoris, & illatio Calvinianorum: *Christus in statu exinanitionis propter unionem personalem non fuit omnipræsens, ergò nec in statu exaltationis est omnipræsens propter personalem unionem:* A statu enim illo ad hunc non valet consequentia; Nec satis benè audit phrasis: *Deitas*, sive divina natura, *est passa.*

6. De *descensu Christi ad inferos* quid sentiam, si quæras, respondeo,

1. non referendus est ad Christi sepulturam (contra Bucerum *in cap. 27. Matth.* & Bezam, *in cap 2. Actor.*) 2. non ad agoniam Christi in horto, sive statum exinanitionis (contra Calvin. *in c. 30. Hiob.*) 3. non ad statum quendam intermedium, sed 4. ad statum exaltationis, triumphum ac victoriam Christi.

7. Nihilominus usurpo verba Lutheri, quæ extant *in Concione Torgavienſi habitâ Anno 34.* Ego hunc articulum nolo argutè & scrupulosè tractare, quomodo id factum sit, & quid significet descendere ad inferos, sed retinebo simpliciſsimam sententiam sicut τὸ ῥητὸν verborũ sonat. Confer *tom 6. VVitenberg. in cap. 25. Genes. fol. 351. & in cap. 42. f. 643. & tom. 4. in 9. Eccles. fol. 34.*

8. Exaltatio est Christi mortui & à Patre resuscitati per ascensionem ad cœlum evectio ad dextram majestatis ac virtutis divinæ, *Philip. 2. v. 9.*

Con-

Confer *Psal. 8. 72. 110. Ephes. 1. Actor. 1. Eph. 1. & 4. 1. Cor. 15. Luc. 24. Actor. 2. capp.* quæ quot modis Christo in Scripturis tribuatur, videris apud Chēnit. *lib. 2. harmon. cap. 28. pag. 151.*

9. Ascensio Christi in cœlos est corporis ejus è monte oliveti elevatio facta 40. à resurrectione die, qua illud dextra Dei exaltatum, à nube ex Apostolorum conspectu susceptum, & glorioso DEI regno illatum est.

10. Eâq; itinerarium suum in his terris clausit, in alta cœlorum, (*verba sunt Bernhardi*) se recepit, carnem suam (*verba Cypriani*) passionibus consummatam in dextra sedis DEI altissimi collocavit; & licet comitatus fuerit angelico obsequio, non tamen fultus angelorum fuit auxilio, (*Bernhardus*) quem si sequamur hîc affectu, sequemur effectu, propterea, quod suo ascensu captivam fecit captivitatem, chirographum,

delevit, *Psalm. 68. v. 19. Ephes. 4. v. 8. Coloss. 2. v. 14. 15.* locum nobis paravit, *Joh. 14. v. 2. 3.* dona accepit in hominibus, *Psalm. 68. vers. 19. Ephes. 4. v. 8. 11. 12.*

11. In cœlũ quidem ascenderunt etiam Henochus & Elias, sed non sederunt ad dextram Dei, *Heb. 1. v. 13.* quæ Dei dextra non est membrum aut pars Dei, *Johann. 4. v. 24.* non circumscriptus locus aliquis, non summa aut proxima gloria secundùm Deum, qualem describunt ex *1. Reg. 2. v. 19. Genes. 41. v. 42.* Calviniani, sed dextra potentiæ Dei, *Luc. 22. v. 69.* dextra majestatis Dei, *Heb. 1 vers. 3. & 9. v. 1.* ad quam sedens Christus, Dominus es super omnem principatum ac potestatem, omnia sub pedibus subjecta, nomenque supra omne nomen habet, &c.

12. Sed quis est, (quærit & respondet Augustinus *lib. 3. de Symb. cap. 8. & cap. 16. meditation.*) qui sedet ad dex-

dextram Patris? Homo Christus: nam in quantum Deus, semper cum Patre & ex Patre: & quando ad nos processit, à Patre non recessit. Non excelsus, sed caro excelsi exaltatur, inquit Athanas. *apud Theodoret. dial. 2.* & non divina, sed humana natura facta est, σωθεον cum divino spiritu, *Eusthasius apud Theodoret.* hoc est, throni particeps, *Chrysost. apud Theodoret.* cùm eam dextra DEI per unionem evexerit ad propriam suam celsitudinem. *Nyssen.* & in ipsum paternum thronum, *Occum. in 1. cap. Hebr.*

13. *Euge ergò!* Securæ estote caro & sanguis: Jam enim regnum in Christo occupastis! *Tertullian. de carne Christi.* Hæc nempe mihi rota est spes, omnisq; fiducia. Est enim in ipso Jhesu Christo Domino nostro, uniuscujusque nostrûm portio, caro & sanguis. Ubi ergò portio mea regnat, ibi me regnare credo:

ubi caro mea glorificabitur, ibi me glorioſum eſſe cognoſco, ubi ſanguis meus dominatur, ibi me dominari ſentio, Auguſtin. *cap. 15. meditation.* Confer Chryſoſt. *in cap. 2. Hebr. hom. 4. Luther. tom. 4. lat. fol. 84.*

LOCUS XX.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

RESPONDIT

M. MARTINUS Seelman / Neoſtadienſis ad Ericas.

I.

HActenus de Chriſto, ejus perſona, officio, beneficiis, quæ quomodo apprehendantur & applicentur ſuprà in loco de *juſtificatione* dictum eſt: Si quæras quomodo nobis offerantur, rectè reſpondetur, quod per verbum & Sacramenta: Fides enim manus noſtra mendicat eſt,

est, at Dei manus larga & plusquam munifica, sunt verbum & Sacramenta. De illo, puta verbo audibili, actum est superiùs, de verbo visibli est agendum tùm κατα φατικῶς, tùm ἀποφατικῶς.

2. Sacramentum definimus (non ex prædicamento substantiæ, licet in eo multa substantialia esse concedamus, non ex prædicamento relationis, licet relationem & Analogiam, eamque duplicem generalem & specialem in illo esse largiter largiamur, sed) *actionem sacram* divinitùs institutam *verbo* (mandati ac promissionis) *& elemento constantem, qua Deus promissionem Evangelii de peccatorum remissione omnibus & singulis offert:* ubi tamen non negamus, quòd eandem confirmet & obsignet, & per fidem applicet, puta his qui usurpant dignè.

3. Hoc stante, ut non satis Logicas rejicimus definitiones 1. Lom-

bardi *lib. 4. sentent. d. 1.* (licet ex parte sit Augustini *lib 2. de doctrin. Christian. cap. 1.*) Sacramentum est invisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat & causa existat. 2. Hodiernorum nonnullorum: Sacramentum est visibile signum invisibilis gratiæ. 3. Hugonius *lib. 1. de Sacram. p. 9. c. 2.* Sacramentum est materiale elementū extrinsecus oculis suppositum ex institutione significans, ex similitudine repræsentās, ex sanctificatione aliquam gratiam invisibilem conferens. 4. Bellarmini *libr. 1. de Sacrament. cap. 11.* Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tùm significandæ, tùm efficiendæ vim habet.

4. De Sacramenti notatione, quòd dictum sit à sacro sive sacrando, apud Varronem *lib. 4. de ling. lat.* Vegetium *de re militari lib. 2.* Item, quod accipiatur pro militibus apud Juve-

Juvenalem, *Satyr. 15.* pro omni quod interpositio jurameuto gerebatur, *apud Festum*, pro pecunia depositâ, apud Varronem & Ciceronem *libr. 9. Epistol.* nihil sumus solliciti, utpote qui Sacramenti vocabulo utimur in sensu Ecclesiastico γενικῶς, καὶ εἰδικῶς: γενικῶς pro mysterio, sive re occulta & arcana, prout accipitur, *Ephes. 1. v. 9. & 3. v. 3. & 9. Apocal. 17. vers. 7.* quo sensu concedamus sanè Conjugium esse Sacramentum, ex *Ephes. 5. v. 32.* probemus quòd Hieron, *tom. 9.* Sacramenta Dei esse dixit, prædicare, benedicere, confirmare, communionem reddere, visitare infirmos, orare &c. toleremus quòd Augustinus fractionem panis *Luc. 24.* rei sacræ symbolum appellavit: concedamus, quòd arbor vitæ, lignum scientiæ boni & mali, sacrificium Abelis, iris in nubibus, Sol retrogradus, Gedeonis vellus & alia, Sacramenta fuerint; & tamen duo tan-

tantùm Veteris Testamenti Sacramenta fuisse asserimus constanter.

5 Nam ἀδικῶς sumptum Sacramentum est actio divina ad applicãdam & obsignandam Evangelii promissionem instituta, atq; hanc significationem in Scripturâ non extare damus, mirantes Bellarmin. qui *lib. 1. de Sacrament. cap. 7.* ludum facit Lutherum, negantem hoc in significatu in Scriptura Sacramenti nomen inveniri. *NOTA:* sæpe Sacramenti vocẽ etiam accipi specialissimè, vel pro Sacramento toto, vel pro ejus parte: Eodemq; modo signi quoq; appellatio usurpatur, præsertim apud Patres.

6. Causa Sacramentorum efficiens principalis est *DEUS:* Unde divinitùs institutam definimus actionem, in qua δόσις simul est & λῆψις. Efficiens instrumentalis est (excepto extremæ necessitatis casu) ordinarius Minister: Absit tamen ut cùm

Dona-

Donatistis statuamus Sacramenti virtutem à ministro pendere; Vide Lutherum *tom. 6. Jenens. Anno 1533.* prohibescat DEUS, ut necessariò ad perfectionem requiramus ministri sive Sacerdotis intentionem cum Concilio Tridentino *sess. 7. c. 11.* Bellarm. *lib. 1. de Sacrament. cap. 37.* non audiatur Papa quinque nova Sacramenta instituens, eoque se DEUM, adeoq; Anti-Christum constituens: Abeant, qui cum Bellarmino chorũ agunt, Baptismum primitùs à Johanne fuisse institutum. Autor Sacramentorum, quis est nisi Dominus Jesus? de cœlo ista Sacramenta venerunt. Consilium n. omne de Deo, inquit Ambros. *libr. 4. de Sacrament. cap. 4.*

7. Quæ essentiales Sacramenti causæ sint, constat ex axiomate Augustini trito, *tract. 80. in Johann.* Accedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum: Verbum inquam (non

(non quatenus materiæ locum habet, ut vult Bellarm. *lib. 1. de Sacrament. cap. 13.* sed) mandati de usu, administratione, collatione: Elementum, non hoc vel illud, sed quatenus divinitùs ordinatum, ac verbo DEI comprehensum.

8. Finis Sacramentorum est offerre, exhibere, conferre, applicare Evangelicam promissionem, oppignorari divinam erga nos benevolentiam, id quod de utriusque Testamenti Sacramentis verè & piè affirmamus, eaq; propter negamus, quòd omnis vis ac ratio Sacramentorum consistat in significando, *contra Calvinistas:* negamus, quòd gratia divina ita contineatur in Sacramentis sicut nardinum in Alabastro, *contra Scholasticos:* negamus, quòd Sacramenta gratiam conferant ex opere operato, contra Bellarmin. *libr. 2. de Sacrament. c. 1. & seqq.* Negamus fidem Sacramenti partem esse substan-

ſtantialem, *contra Sadeelem & aſſeclas* Negamus Sacramẽta tantùm externæ profeſſionis notas eſſe, *contra Cinglium & Anabaptiſtas.* Concedimus eandem rationem eſſe Sacramentorum V. & N. Teſtamenti in generalibus, negamus Calviniſtis eandem eſſe in ſpecialibus.

9. Differunt enim Sacramentis, (non iis planè modis, quos tradit Bellarminus *libr. 2. de Sacrament. c. 12.*) 1. ratione perfectionis & imperfectionis. Hæc fuit in illis, *Heb. 7. & 8.* illa eſt in his, *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* 2. ratione inſtitutionis: Illa enim per Moſen, hæc per Chriſtum data ſunt, *Johann. 1. Hebr. 7. & 8.* 3. ratione obligationis: Illa tantum Judaicum, hæc omnem obligant populum, *Matth. 28. Marc. 16.* 4. ratione cognitionis, quæ in Veteri latet, in Novo patet, *Rom. 13. 5.* ratione bonorum contentorum: Illa umbram, hæc corpus habent, *Col. 2. Heb.*

Hebr. 10. v. 1. 6. ratione durationis. Quamvis enim circumcisio fœdus dicatur perpetuum, *Genes. 17. vers. 7.* tantùm tamen durare debuit usque ad tempus correctionis, *Heb. 7. v. 12. & 9. v. 11. Daniel. 9. v. 27.* Mutata igitur sunt Sacramenta, posteaquam venit, qui eis significabatur esse venturus, *Augustinus libr. 2. contra Pelag. cap. 32.*

10. Sed de numero Sacramentorum quæris? Dionysius Areopagita numeravit sex; de quo vide Luther. *tom. 2. in libr. 2. de captivitate Babylonic.* Pontificii constituunt septem, ex septem malè congruentibus congruentiis duri Durandi: Eorum numerus enumerat his versibus:

Fons generat, stabilit sacra confirmatio, nutrit
Christi sancta caro, Confessio crimina curat,
Unctio dat vitam, populum sacer ordo gubernat,
Conjugium Ecclesiæ & Christo nova pignora gignet.

vel brevioribus istis:

Ablvo, jungo, cibo, dolet, ungitur, ordino, jungo.

Item:

Item:

Ordo, Conjugium, fons, Confirmatio, Panū, Unctio, poſtrema & Confeſſio ſunt Sacramenta.

Tria conſtituere videtur Pontificiis Apologia Auguſtanæ Confeſſionis, *artic. 13.* ac propriiſſimè loquendo, ut duo tantùm, eaq; typica, fuerunt in Veteri, ita duo tantùm, eaq; exhibita, ſunt in Novo, ut & Lutherus docet *de cap. Babyl. tom. 2.* quibus cùm quinq; addant Pontificii, pontem ſibi parant ad infernum, & ſine mente ſonum dat Bellarm. *t. 2. lib. 2. c. 24. de eff. Sacram.* cùm ait, non debere adverſarios petere, ut oſtendat numerum ſeptentenarium ex Scriptura, cùm paulò pòſt probare conetur *ex 8. & 19. Actor. Joh. 20. Jac. 5. 1. Tim. 4. Eph. 5.* in quo tamen poſteriori de carnali conjugio non agitur. Percuſſum eſt Chriſti latus, ut Evangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta; *Aqua* in quâ eſt ſponſa purificata; *Sanguis*, ex quâ invenitur

nitur dotata, Augustin. *tom. 10. libr. 2. de Symb. ad Catechum cap. 6.*

LOCUS XXI.

DE BAPTISMO.

RESPONDIT

ARNOLDUS KÜNER

Ecclesiæ Neostadiensis ad Ericas Diaconus.

I.

BAptismus non tantùm immersionem aquæ, ut contendunt Bellarm. *lib. 1. de Baptism. cap. 1.* Calvin. *libr. 4. Institut. c. 15. s. 19.* Keckerm. *libr. 3. System. Theol. c. 8.* sed & aspersionem notat & affusionem, id quod probatur ex baptismatibus Pharisæorum, *Marc. 7. v. 4.* qui, teste Justin. Martyr. *in Dial. contra Tryphon.* Baptistæ appellati fuerunt.

2. Baptismus est lavacrum aquæ, *Ephes. 5. v. 26.* in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, *Matth. 28. v. 19.*

ut

ut homo regeneretur & renovetur per Spiritum sanctum, *Tit. 3. vers. 6.* cum qua definitione plane convenit Catechetica Lutheri, licet à Keckerm. *lib. 1. syst. Log.* falsi generis accusetur.

3. Itaq; efficiens Baptismi causa est Deus, & quem misit, Christus Jhesus, *ex Matth. 28. v. 19. Johann. 1. v. 23. 26. Luc. 3. v. 2. Matth. 21. v. 25. Luc. 7. v. 30.* non Johannes, *(contra Thomam, Lombard. Bellarmin.)* cujus, & Christi Baptismum unum fuisse ac eundem non sine autoritate Scripturæ asserimus, ubi tamen negamus Christum manibus baptizasse propriis, *ex Joh. 4. v. 1. 2. 3.* contra Jesuitam Suaretz. *tom 4. in Thom. fol. 200.*

4. Baptismi causa ministerialis est ordinariè vocatus minister, ex *Matt. 28. v. 19.* Alia tamen ratio est in casu necessitatis: Baptizare, *inquit Hieron. contra Lucif. tom. 2.* si necessitas

cogit scimus etiam licere Laicis, *contra Calvin. Bezan. Bucan.* qui γυναικοβαπτισμῷ præferunt baptizantem Diabolum, qui tamen mendax est, & mendacii pater. Zepporæ exemplū eludunt quidem Calvinus *lib. 4. Instit. 6. 15. sect. 22.* & Bucan. *in locis pag. 613.* sed nihil agunt. Baptismum Athanasii pueri legitimum fuisse negamus: de Baptismo collato ab hæreticis distinguimus: Donatistas à malis Sacerdotibus baptizatos, rebaptizantes, longùm valere jubemus, ut & Pontificios cum Sacrificulorum intentione.

5. Baptismi causa materialis est aqua (res terrena) *ex Johan. 3. v. 5. Ephes. 5. v. 26. Joh. 1. v. 3. Matth. 3. v. 16. Luc. 3. v. 11. Actor. 2. v. 41. & 8. v. 38. & 12. v. 42.* nec refert sive fontana sit, sive fluviatilis, calida aut frigida: & Spiritus sanctus (res cœlestis) *Johan. 3. v. 5.* cui aquæ, simpliciter consideratæ tantam vim (rege-

(regenerationis) minimè asscribimus, ut calumniantur Sacramentarii: Mundatio, *inquit Augustinus tract. 80. in Johann.* nequaquam fluxo & labili tribueretur Elemento, nisi addetur in verbo; Aqua, inquam, est Domini, *Lutherus tom. 4. lat. fol. 46.* aqua non Dei creatoris, sed Salvatoris, *Luther. in comm. in Genes. tom. 3. c. 28. f. 91.* Aqua sanguine Christi mista, *Luther. tom. 7. Vittemb. f. 377.*

6. In Baptismo Analogiam esse concedimus, sed talem qualem indicat Lutherus *in Catech. q. 4.* talem; ut aquâ humum rigari oportet; ita per aquam Baptismi datur Spiritus sanctus, per quem fructificant credentes Deo, Ambros. *ad Rom. 6. & de initiand. l. 1. c. 4.* talem; ut aquâ corporis sitim sedat; ita æstus iræ Dei in corde peccatoris gratia Baptismi restinguitur, & refrigeratur, Hieron. *Epist. 83. ad Ocean.* talem; cùm minister puerum immergit in aquam,

mortem significat, quando rursus educit, vitam significat, *Luther. in captivit. Babylonic. fol. 80.* istam verò Calvinianorum: sicut aqua abluit corpus, & sordes corporeas, sic sanguis Christi suo merito abluit peccata nostra, (*vide Bucan. pag. 602. Petr. Martyr. in 1. Cor. 1. f. 19.*) suo merito repudiamus.

7. Pari jure repudiamus 1. Gnosticos & Manichæos negantes aquam sensibilem & corpoream ad Baptis. conficiendum necessarium esse, *teste Iren. l. 1. contra hæret. c. 18. August. hær. 46.* 2. Jacobitas characterem ferro candente fronte inurentes, *teste Bernh. Lucelb.* 3. Monachos flagellantes, proprio sanguine, flagellis excusso, illum conficientes, *teste Trithem. in Chronic.* 4. Pontificios aquam de novo consecrantes; *Vide Catech. Rom. p. 180.* itemq; 5. baptismum in lixivio, brodio carnium vel piscium, *Toleti l. 2. de cas. conscient.*

c. 18.

c. 18. 6. aquam etiam expressam ex luto, & sulphuream, *Gregor. de Valen. tom. 4. disput. 4. quæst. 1.* 7. quemvis alium liquorem Bezæ *Epist. 2.* & expositionem aquæ Metaphoricam in dicto *Johan 3. v. 5.* apud Cingl. *in lib. de Bapt.* Calvin. *lib. 4. Instit. c. 16. sect. 25.* Pet. Martyr. *1. Corinth. 7. fol. 179. fac. 2.* Zanchium *libr. 4. de trib. Eloh. c. 5. fol. 656.*

8. Forma Baptismi expressa est in promulgatione, *Matth. 28. vers. 19.* eaq; integrè ac tota retinenda. Nam 1. hîc non sufficit baptizare in nomine Jhesu, contra *Nicol. Papam in c. at quodam Judæo de consec. dist. 4. Magistrum sentent. in 4. dist. 3. Adrian. q. 2. de Bapt.* 2. Baptizare in Christum & mortem ejus, contra Eunomianos, apud *Socrat. l. 5. histor. c. 23. Vide Damascen. lib. 4. O. F. c. 10.* 3. baptizare in nomine sanctæ ac individuæ Trinitatis, *vide Ambros. serm. 3. contra Arian.* 4. baptizare in nomine genitoris,

toris, & geniti, & spirati, contra Cajetanum *apud Suaretz. tom. 4. fol. 219.* 5. baptizari in nomen Patris, per Filium in Spiritu sancto contra Arian. *Vide Nicephor. lib. 16. hist. c. 35.* 6. baptizare in nomine DEI & sanctæ crucis, contra *Bernhard. Epist. 348. Hugon. de S. Victor. l. 2. de Sacrament. part. 6. cap. 2.* 7. Cum Presbytero Bavaro insulsissimo baptizare in nomine Patria & Filia & Spiritua sancta. *Vide Avent. in lib. 3. anal:* Atque ex hoc quòd in Christi quoque nomine baptizamur, probatur ejus Deitas contra Photinianos.

9. Baptismi causa finalis & effectus est, operari remissionem peccatorum, *ex Ezech. 36. v. 25. Actor. 2. v. 38. & 22. v. 16. Ephes. 5. v. 26. 27.* liberare à morte & Diabolo, *ex 1. Pet. 3. v. 21.* donare æternam beatitudinem, *Marc. 16. v. 16. Johann. 3. v. 5.* Hinc Luthero puerpera dicitur regni cœlorum, *tom. 3. latin. pag. 157.*

Dio-

Dionysio ἀναγέννησις καὶ θεογενεσία, *cap. 2.* porta cœli, *Augustin. libr. 2. ad Laur.* Basilio primus dies regenerationis, *l. de Spir. S. c. 19.* Bernh. investitura Christiani, *in serm. de Cœna.*

10. Cave ergò dicere 1. Baptismũ nudum signũ esse cum Beza *in part. 2. ad. Act. Coll. Momp. anthit. 5. p. 108.* 2. negare baptismum ad salutem esse necessarium cum Calvino, & Manichæis, *apud Augustin. in Catal. hæret. tom. 6.* 3. asserere baptismum non facere Christianum, sed significare Christianum, *cum Bucan. loc. 47. pag. 648.* 4. Judaismum esse, si Sacramenta dicantur intùs purgare, *cum Beza in Coll. Momp. pag. 435. 435. 469. 479. Calvin. l. 4. Instit. c. 16. sect. 15. Rennech. in aur. Sal. Cat. pag. 224.* Noli cum Papistis Baptismo tribuere nimium, tollere scilicet & delere illũ omnem culpam & pœnam: conferre gratiam ex opere operato, imprimere characterem indelebilem,

Vide Bell. l. 1. de S. Bapt. cap. 12. 14. & 18. F. Suarez. tom. 4. f. 277. Ne statuas cũ Photinianis, Baptismũ non esse medium regenerationis, infantes haud esse baptizandos, Baptismũ N. T. Sacramentum esse non perpetuũ, Johannem & Apostolos sine mandato baptizasse &c. somniantibus.

11. Subjectum Baptismi sunt non campanæ, *contra Papistas*, sed creaturæ rationales, & inter has vel infantes, *contra Anabaptistas*, non tantùm masculi, sed & fœmellæ, *ex Eph. 5. v. 25. Gal. 3. v. 27. 28. Act. 8. v. 12. & 16. v. 15.* Accusat sanè Greg. de Valent. *tom. 3. in Thom. fol. 15.* Scripturam S. imperfectionis, quòd pædobaptismum non tradat; ac expressa Scriptura reclamat, & contrarium ostendunt *Suarez. tom. 4. fol. 255. Bell. l. 1. de Sacr. c. 8.* Rectè nihilominus *Philipp. in l. comm. tit. de Baptis.* pædobaptismum traditionem vocat Ecclesiæ, quàm falsè, sed falsò ridet Bellar. *d. l.* De fide infantum satis multa dicta sunt *in Sy-*

Synopsi mea de Baptism. pag. 56. & seqq. Fides aliena, quâ salvari eos putant Pontificii, est aliquid nihil: Sancta ipsorum nativitas ex sanctis parentibus, quam Calviniani in cerebri tholis genuerunt, est nihilo minus: Duplex eorundem Baptismus, est multiplex error. De *infantibus* sine baptismo decedentibus, tenemus illuc Augustin. *lib. 4. de Baptism. c. 22.* Tunc Sacramentum Baptismi impletur invisibiliter, cùm idipsum nō contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit: & in latrone in cruce, quod ex Sacramento Baptismi defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat, August. *lib. 5. de Baptism. contra Donatistas.*

12. Adjuncta ac *Ceremoniæ* apud Baptismum apud Pontificios multæ & præcipuæ versibus inclusæ sunt:

Sal, oleum, Chrisma, Cereus, Chrismale, saliva,
Elatus, virtutem Baptismatis ista figurant,

con-

contra quas sic pronunciam⁹: Sacramenta administranda sunt simplicissimè, iisque maximè ritibus, quibus Christus & Apostoli usi: & humanitùs huic Sacramento nihil est assuendum, *ex Chrysostom. hom. 7. in 1. Corinth. 2. Exorcismus* licet multis in locis omittatur, liberè tamen, & sine superstitiõe Papistica in Ecclesiis nostris retinetur. Rectè etiam adhibentur patrini, non autem blasphemi, hæretici, schismatici, impœnitentes, adulteri, usurarii, &c. de *tempore* Baptismi sequimur Apostolicũ præceptum, *Gal. 4. v. 9. 10. Col. 2. v. 16.* Nulla ætas etiam unius diei inepta est Baptismo, *ait Cyprian. Epist. 89. & 8. & August. Epist. 28. Locus*, olim variavit, nobis placet locus sacer & publicus: non placet Beza, negans in domo privata non rectè administrari Baptismum, *in libr. quæst. & respons. ad quæst. notat. num. 151.*

LOCUS

LOCUS XXII.

DE COENA DOMINI.

RESPONDIT
MELCHIOR WEIGLERUS,
Ecclesiæ Heltburghusanæ
Diaconus.

I.

ALterum Novi Testamenti Sacramentum *appellatur* Cœna Dominica; *Cœna* à tempore, quo fuit institutum, *1. Cor. 13. v. 23. Cœna* non communis, aut materialis, qualis homini fesso præparatur, *Psal. 104. v. 23.* non æternalis, *Apocal. 19. v. 9.* Cœna, non qualis describitur *Luc. 14. v. 16.* sed Sacramentalis, sive Evangelica, ut vocat Nazianzenus *orat. 2.* quæ *Dominica* dicitur ab autore, qui non deficit, quando nos reficit; & mensa Domini, *1. Corinth. 10. v. 21.* & convivium Dominicum à Tertulliano

liano *lib. 2. ad uxor. 1. Joh. 5. v. 8.* vocatur *sanguis*, & panis Dei sive cœlestis, ab Irenæo, Sacramentū omnia consummans à Cypriano, Synaxis à Dionysio, ex *1. Cor. 11. v. 17. & 18.* communiter Eucharistia, Agape, Sacramentum Altaris à Luthero, Missa ab Aug. Cnof. omnia rectè!

2. *Definitur* ex verbis Institutionis *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 10. & 11.* (Nam in *cap. 6. Johann.* de Cœna non agitur Calvino non infitente,) Actio sacra à Christo paulò ante mortem, in ea nocte, qua traditus est, instituta, in qua mediantibus symbolis pane & vino, manducamus ac bibimus verum ipsius corpus & sanguinem in sui commemorationem: cum qua definitione convenit illa Ignatii in Epistola ad Philadelphens. εὐχαριστία μία ἐστιν ἡ σαρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ καὶ ἕν τὸ αἷμα αὐτοῦ τὸ ἐξ ἡμῶν ἐχυθέν, & Catechetica

ca Lutheri, licet eam suggillent Calviniseque.

3. Itaque Cœnæ *causa efficiens* est Dominus noster Jhesus Christus, cujus os cùm verax, cujus manus cùm potens sit, verè nobis porrigit (non signa, sed) verum corpus & sanguinẽ suum, quod si impossibile est apud homines, non tamen impossibile est apud Deum, *Zach. 8. v. 6. Luc. 1. v. 37.* Non ergò audiamus sive veteres sive recentiores Capernaitas, quæritantes: Quomodo potest hic carnẽ suam ad manducandum dare, *Joh. 6. v. 52.* Quomodo enim Judaicũ verbum est, & extremi causa supplicii', ait Cyrillus *libr. 4. c. 3.* non Photinianos, corpus Christi in Cœna accipi negantes verba ejus significativè exponentes cum Cinglianis, & veram præsentiam non credentes &c.

4. *Instrumentalis* sive Administrans causa est (non quantum ad corpus ipse Christus, ut vult Calvin.

Gros-

Grossius *in Concion. Euchar. fol. 1224.* non Laicus aut fœmina, qualis qualis etiam sit casus necessitatis, sed) ordinarii ministri, utpote dispensatores mysteriorum Dei, *1. Cor. 4. v. 1.* ubi rejicimus errorem Donatistarum, & intentionem Papistarum: Si quæratur an rectiùs fiat, si minister sibiipsi extra telam necessitatis Cœnam porrigat, respondemus negatè.

5. *Causa materialis* sunt res terrena, panis & vinum, & cœlestis, Christi corpus & sanguis: Circa panem errant 1. Peputiani, per eum intelligentes omnes cibos: 2. Græci, necessariò requirentes fermentatum, 3. Pontificii, requirentes de necessitate azymum, ejusque ac vini substantiam in corpus & sanguinem Christi converti statuentes, *vide Lomb. libr. 4. dist. 11.* hostiam reponentes, circumgestantes, adorantes. 4. Calviniani, hostias nostras traducentes, & panifragium in ipsa actione necessarium

rium esse contendentes. Circa Vinum 1. Aquarii, aquam tantùm in calice offerentes, *vide Cyprian. lib. 3. Epist. 2. ad Cæcil.* 2. Pontificii vinum aqua miscentes, Laicis calicem furantes. 3. Cingliani pro Pane & Vino aliud quod analogiam habet muneris & virium admittentes. 4. Iidem variè errant circa rem cœlestem, tropos & figuras nunc has nunc illas, fidem alatam, præsentiam relativã, ἀνάμνησιν, memoriam sive cogitationem corporis CHRISTI fingentes: contra quos usurpamus illud Theodoreti: δεῖ τὸ ῥητὸν σέβειν.

6. *Causa formalis* est in manducatione & bibitione cum pane & vino corporis ac sanguinis (non naturali, non spirituali, sed) Sacramentali. Unio enim rei terrenæ & cœlestis Sacramentalis est & mystica, quod ut intelligeretur à piis veteribus, & nostratibus rectè usurpatæ sunt particulæ, *In*, *Cum*, *Sub*, quicquid etiam

cum suis reclamet Calvinus: & hic locum habent Lutheri Synecdoche Grammatica, & verba Cantici Eucharistici: verborgen im Brot so klein. Aliud enim latet, aliud patet, *inquit Bernhardus.*

7. Fines *(quoad Deum)* Cœnæ sunt. 1. mortis Christi commemoratio, *Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 39.* 2. gratiæ divinæ prædicatio, quod ex latere suo Christus effundit jucunditatem & delectationem, *ut loquitur Isidorus Peluſiota Epiſt. 160.* 3. Dei redamatio. 4. obedientiæ nostræ testificatio: *Quoad hominem* fines sunt 1. omnium beneficiorum Christi fidelis applicatio. 2. Fidei confirmatio. 3. in Christum implanatio. 4. Christi in nobis inhabitatio. 5. sejunctio à castris Satanæ, gentium, Atheorũ, hæreticorum. 6. resurrectionis corporum nostrorum certificatio. Fines *respectu proximi* sunt, 1. peccatorum remissio & confessio. 2. doctri-

næ,

næ, in Ecclesia publicè sonantis approbatio. 3. operum caritatis exhibitio. 4. fraternæ dilectionis declaratio &c. Ex quibus elicitur neminem bona conscientia apud hæreticos & schismatos sacrâ Cœnâ uti posse.

8. *Subjectum* Cœnæ sunt Christiani, etiam ii, qui sunt sine fide & pœnitentia, hoc est, indigni, *1. Cor. 11. v. 29.* Interim

Ebrius, infames, (sive notoriè flagitiosi) *erroneus atq; furentes.*

Cum pueris (contra Abrah. Muscul.) *Domini non debent sumere corpus.*

In hoc censu sunt etiam Turcæ & Judæi & omnes qui foris, Excommunicati, Mortui, ægroti jamjam morituri, qui probare se non possunt, Catechumeni nondum baptizati. De mutis & surdis scio quid alii statuant, ego judico tutius esse, si ab hoc sacro convivio arceãtur, id quod fit in locis quamplurimis, nec tamen

men improbamus sententiam *Luther. tom. 7. VVitteb. fol. 38. & tom. 1. Jenensi fol. 318.*

9. *Tempus* Cœnæ certam legem non habet: Placuit tamen Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramēti in os Christiani primò intraret Dominicum corpus quàm cibi cæteri, *inquit Augustin. lib. 1. ad inquisit. Jan. c. 6.* Nec remoram nobis facit appellatio Cœnæ, & exemplum veterum, qui noctu Cœnam celebrabant.

10. *Locus* est cœtus Ecclesiasticus, *1. Corinth. 11. v. 17. & 1. Cor. 10. v. 7.* Unde appellatur sacra Synaxis, & Communio. Justini ætate etiam celebrata fuit apud ægrotos, teste Eusebio *libr. 14. hist. Eccles. c. 5.* & Basil. *in Epist. ad Cæsar. Patrit.* & consuetudo Romana fuit quotidiè communicandi in propriis ac privatis ædibus, teste Hieron. *Epist. 50. ad Pammach.* Est enim vel Ecclesia domestica, *Rom. 16. v. 3. & 5. 1. Cor. 16. v. 19.*

quod

quod notandum contra Calvinianos, negantes rectè celebrari Cœnam apud ægrotos & in ædibus privatis, eò quòd actio sit Ecclesiastica & Synaxis.

11. Iidem negant rectè celebrari Cœnam in Altaribus, quòd organa fuerint Idololatriæ & trophæa Satanæ. At mundis omnia munda sunt. *Tit. 1. v. 5.* nec verum est, quod scribit Beza, inter altare & sacrificium perpetuam esse relationem. Idem affirmant de nostris calicibus, & Lavaretus requirit Pocula lignea. *O ligneam subtilitatem!*

LOCUS XXIII.

DE ECCLESIA.

RESPONDIT

M. MARTINUS BRANDEBURG,
Teutlôbio-Thuringus.

I.

SAcramenta bona sunt Ecclesiæ propria, Ecclesiam unà cum sincera verbi divini prædicatione à priori constituunt, Ecclesiam à priori simul & posteriori notificant. Quare recto ordine de Ecclesia articulum tractamus.

2. Nominamus Ecclesiam à Græco ἐκκλησία, ab evocando, quia ex mundo in maligno posito, *1. Joh. 5. v. 19.* Deus cœtum sibi vocat: unde vocatur Ecccleſia Dei, *Act. 20. v. 28. 1. Cor. 10. v. 32. 1. Tim. 3. v. 5.* & Christi, *Rom. 16. v. 16. Col. 1. v. 24. Matth. 16. v. 18.* Hebræis vocatur Cahal, à congregando, & Edach, ab indicēdo & conve-

veniendo. Unde & nomen habet συναγωγὴς *Jacob. 2. v. 2. Heb. 10. v. 25.* accipitur autem generaliter 1. pro quavis congregatione hominum, *Act. 19. v. 32. & 40.* 2. pro cœtu ob religionem congregato, *Psal. 26. v. 5.* & specialiter 1. pro cœtu vocatorum, *Num. 20. v. 4. Ps. 22. 26. 35. 68. 107. 147. Act. 2. 5. 7. 8. & passim*, 2. pro cœtu sive *militante*, sive *triumphante*: *Apoc. 7. vers. 9. 10. 14. Hebr. 12. v. 22. 23. Ephes. 6. v. 11. 1. Petr. 5. v. 89.* ex quo constat Ecclesiã in Purgatorio Pontificio esse nullam.

3. Definimus Ecclesiam cœtũ hominum verbo Dei evocatorum & divinam religionẽ profitentium; quã dum integrè profitetur, *vera*, dum non integrè, aut religionẽ non rectè aut mutilatè tractat, Ecclesia dicitur *falsa*; quæ tamen distinctio nominis magis est, quàm rei; dico integrè & mutilatè, quia ille cœtus in quo verbum Dei non prædicatur, Sacramẽta non administrantur, non falsa,

sed nulla est Ecclesia. Quo stante damus hodiè sub Antichristo, qui est Pontifex Romanus, esse aliquam Ecclesiam.

4. Distinguimus Ecclesiam 1. veram in *visibilem & invisibilem. Visibilem* dicimus à visibili ministerio docendi & Sacramenta administrandi, in qua concedimus esse admixtos multos non sanctos, qui in Ecclesia quidem, sed non de Ecclesia, hoc est, partes ejus sunt, ut multis contendit Bellarminus: *Invisibilem* definimus congregationem verè credentium & finem fidei, quæ est animarum salus, consequentium, *Rom. 8. v. 29. 30. 1. Petr. 1. v. 3. 4. 8 9. 1. Reg. 19. v. 18.* Invisibilis ergò dicitur non propter homines, qui utique videri possunt, sed propter fidem eorum, quæ in corde, & soli cardiognostæ nota est, *2. Tim. 2. v. 19. Johan. 10. v. 27. Rom. 2. v. 18. 1. Pet. 3. v. 4.* Nec tamen duplex, ut ex nostra sententia colligere vo-

volunt Pontificii, sed una est Ecclesia. Non enim visibilis & invisibilis Ecclesia, realiter differunt. Nam habet unicum caput Christum, *Eph. 5. v. 27.* unicum pastorem, *Johann. 10. v. 16. 1. Pet. 5. v. 4.* qui nullo indiget vicario, multoq; minus Papâ Romano. Hinc dicitur unum corpus, *Eph. 4. v. 4.* unica columba, *Cantic. 6. v. 8.* unicus grex & unum ovile, *Johann. 10. v. 16.*

§. 2. Distinguimus in *universalem* & *particularem*: illam, quæ cœtus est fidelium ubivis locorum & temporum collectorum, *Matth. 26. vers. 13. Marc. 14. v. 9. & 16. v. 15. Coloss. 1. v. 6.* hanc, quæ est certus cœtus certo loco degens, ut Ecclesia Romana, Corinthiaca, *Rom. 2. v. 7. 1. Cor. 1. v. 2.* atq; hûc pertinet Ecclesia domestica, *Rom. 16. v. 3. 5. 1. Corinth. 16. v. 19.* de distinctionibus in Ecclesiam *veram* & *falsam*, *militantem* & *triumphantem*, ex superioribus constat.

6. Cæterùm *efficiens* Ecclesiæ *causa* est Deus eligens & vocans, *Eph. 1. v. 4. Johan. 6. v. 44.* & Dei filius, sanguine eam acquirens, *Actor. 20. v. 28.* συνεργοὶ καὶ οἰκόνομοι sunt Prophetæ, Apostoli, Dd., Pastores, *Roman. 15. v. 20. 1. Petr. 2. v. 7.* Causa organica verbi prædicatio, & Sacramentorum administratio, *Matt. 28. Marc. 16. Joh. 3. & 17. Rom. 10. 1. Corinth. 1.* Materia omnis creatura rationalis in toto mundo, *Marc. 15. 16.* Formalis causa, amplexus verbi audibilis, & usus verbi visibilis: *Finalis*, regeneratio ad vitam æternam.

7. Atq, hæc Ecclesia in Symbolo Niceno, maximè propter Electos, insignia habet Epitheta, vocatur I. *Una*, non ex Romani Pontificis, sed fidei unitate, *Eph 4. v. 3. & seqq.* II. *Sancta*, 1. à causa efficiente, Christo scilicet sanctificante, *Eph. 5. v. 25. 26.* per Spiritum sanctum, 2. *Corinth. 1. vers. 22.* 2. à causa instrumentali offerente, quæ

quæ est verbum veritatis, *Johan. 17. v. 17. Eph. 5. v. 26.* & apprehendente, quæ est fides, *Act. 15. v. 9.* 3. à causa formali, quæ est Christi sanctitas per fidem imputata *1. Cor. 1. v. 30.* 4. à causa finali, quia ad sanctitatem contendit, *Eph. 5. v. 27.* 5. ab effectis, quia hic incipit esse sancta, *Luc. 1. v. 27.* & populus fit spontaneus, *Psal. 110. v. 3.* 6. ab objecto, quod sunt res sanctæ. 7. à contrariis, quia separata est à chathedra illusorum, *Psal. 1. v. 1.* III. *Catholica*, ab Evangelio in universo mundo prædicato, *Mat. 26. v. 13. Marc. 14. v. 9. & 16. v. 15. Ps. 19. v. 5. Rom. 10. v. 19. Coloss. 1. v. 23. & 28. v. 19.* Dicitur etiam *Catholica*, ad differentiam Ecclesiarum particularium. IV. *Apostolica*, à fundamento super quod extructa est, *Eph 2. v. 20.* Firmavit enim Dominus Ecclesiã super firmamentum Ecclesiæ, quid est firmamentum Ecclesiæ nisi fundamentum Ecclesiæ? Quid est fundamentum

Ec-

Ecclesiæ? nisi de quo dicit Apostolus, fundamentum aliud poni non potest, præter id, quod positum est, Christus Jesus, Augustin. *ex Psal. 103. cont. Petil. Ep. cap. 2.*

8. Notas Ecclesiæ tantùm facimus duas, sinceram verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem, ex *Esai. 8. v. 20. Matth. 28. v. 19. 20. Johann 3. v. 5. & 8. v. 47. & 10. v. 27. Rom. 15. v. 16. Tit. 3. v. 5. Galat. 1. v. 8. 1. Pet 1. v. 23. Jac. 1. v. 18. Rom. 10. v. 14. 15.* cùmq; notæ debeant esse 1. inseparabiles, 2. propriæ, 3. incurrere in sensus, 4. 4. convenire cum re notata, 5. perpetuò conjunctæ esse cum notato, 6. certæ ac infallibiles, rejicimus notas Bellarmini omnes, puta 1. ipsum Ecclesiæ Catholicæ & Christianorum nomen, 2. antiquitatem, 3. durationem diuturnam, 4. amplitudinem seu multitudinem, 5. successionem, 6. conspirationem in doctrina

cum

cum Ecclesia antiqua, 7. Unionem membrorum inter se & cum capite, 8. sanctitatem doctrinæ, 9. efficaciam doctrinæ, 10. sanctitatem vitæ primorum Patrum, 11. gloriam miraculorum, 12. Lumen Propheticum, 13. confessionem adversariorum, 14. infelicem exitum Ecclesiæ hostium, 15. felicitatem temporalem, *libr. 4. de notis Ecclesiæ, cap. 3. & seqq.*

9. Sed *quæris* I. an ad Ecclesiam pertineant infideles, non baptizati, Catechumeni, hæretici, schismatici, & excommunicati? Bellarminus omnes excludit *libr. 3. de Eccl. militant. cap. 3. 4. 5. 6.* De infidelibus non baptizatis, & excommunicatis consentimus, non autem de Catechumenis quippe quos concedit Jesuita salvari posse; De hæreticis & schismaticis, pronunciamus ex *1. Corinth. 11. v. 19.* Concedimus item Jesuitæ non solos prædestinatos ad Ecclesiã per-

pertinere, sed concedimus de Ecclesia visibili, non de invisibili.

10. *Quæris* II. an Ecclesia semper sit visibilis, *ex Bellar. d. l. cap. 11?* Negamus ex fundamentis Scripturæ, *1. Reg. 19. vers. 10. Roman. 11. vers. 4. 2. Paralipp. 15. v. 3. Ezechiel. 7. v. 26. Luc. 18. v. 8. 2. Petr. 2. v 2. 2. Thessal. 2. v. 3. & seqq. Matth. 24. v. 24.* Ecclesia enim, *inquit Ambrosius in hexam. libr. 4. c. 8.* sicut Luna defectus habet & ortus frequentes: sed defectibus suis crevit, & his metuit ampliari, dum persecutionibus minuitur, & Confessorum martyriis coronatur, fulget Ecclesia non suo, sed Christi lumine. Idem docet Augustin. *in Ep. ed Vincent. 48. & in præfat. Psal. 39. & Psal. 9.* & Hilarius scribit *ad Auxentium*, interdum Ecclesiam in cavernis delituisse, quàm in primariis sedibus eminuisse.

11. *Quæris tertiò*, an Ecclesia possit negare? Negat Bellarm. absolutè

lib.

libr. 3. de milit. cap. 14. Affirmamus nos *ex Matth. 7. v. 15. 2. Cor. 11. v. 3. Act. 2. v. 29. Gal. 2. v. 8. Coloss. 2. v. 8. Rom. 11. v. 20. 21. Jerem. 6. v. 3. & c. 2. v. 8.* Nec obstant nobis dicta *1. Tim. 3. v. 15. Joh. 14. v. 26. Joh. 17. v. 17. Mat. 18. v. 30.* Distinguimus tamen 1. inter errores qui fundamentū evertunt, & qui non: 2. inter Ecclesiam universalem & particularem. 3. inter errorem ad tempus, & finalem in errore perseverantiam, 4. vel inter errare, & in errorem induci.

12. *Quæris quartò*, an Ecclesia Romana rectè dicatur Catholica? Negatur 1. quia Catholica Ecclesia definita est Canonicarum Scripturarum divinis & certissimis testimoniis, ut docet Augustinus *in libr. de unit. Eccles. cap. 3.* 2. quia Ecclesia Catholica dicitur, quæ per totum terrarum orbem diffunditur, teste August. *Epist. 170.* nempe per doctrinam Evan-

Evangelii catholicam, quæ in toto mundo omnibus gentibus fuit prædicata. 3. quia Romana Ecclesia est particularis: Quomodo verò pars fieri potest totum? Accusent jam nos Pontificii, quòd Ecclesiam deseruerimus Catholicam; injuriam nobis faciunt, quippe qui non Catholicam, sed Romanam Synagogam, sive Babylonem meretriciam deseruimus, *Apoc. 18. v. 2.* imò si accuratè loqui velimus, non ex Ecclesia, sed ex Papatu eximus, ne participes redderemur plagarum ejus, *Apocal. 18. vers. 5.* lucente nobis ac viam monstrante verbo divino, pro quo beneficio nihil restat, nisi ut gratias agamus tibi Domine Jesu.

LOCUS

LOCUS XIV.

DE PRECATIONE.

RESPONDIT

M. JOHANNES LANGERUS, (*Streuffdoffa-Francus*) Theologiæ Studiosus.

I.

DIctum est de *Ecclesia*, & preces ad lacrumas arma esse *Ecclesiæ*, veterum est veriverbium, imò preces justorum plus valent, quàm arma, *inquit Chrysostomus homil. 14. Epist. Hebr.* & profectò humilitatis nostræ est deprecari, magnificentiæ DEI est orari, fidei est postulare, confessionis & laudis est deprecari, (*Hilar. in explicat. Psalm. 140.*) Agemus ergò de Ecclesiæ contra inferorum portas præsidio, quod est *precatio*.

2. *Quid est precatio?* Est colloquium cum Deo, (*Chrysost.*) est cum Deo conversatio & collocutio, *Clem.*

Alexand. lib. 7. stromat.) est unio cum DEO, (*Dionys.*) est ascensio mentis ad Deum, (*Damascen.*) hoc est: Est petitio hominis pii à Deo, nixa mandato & promissione exauditionis profecta ex vera fide in Christum mediatorem, pro obtinendis bonis spiritualibus & corporalibus, conjunctam habens celebrationem divini nominis, *Marc. 11. v. 24. Psalm. 50. v. 1. Johan. 4. v. 23. Dan. 9. v. 18. & seqq.*

3. Hinc in ipso præliminio jugulamus errores duos, I. Prodicianorum & Philosophorum Cyrenaicorũ, qui contemptâ autoritate mandãtis, liberalitate promittentis, obedientia redimentis; negativè respõderunt ad Quæstionem, *An sit* orandum, quos refutavêre Augustinus, Hieronymus, Clemens Alexandrinus, alii. II. Pontificiorum, Ave Maria, sive salutationem Angelicam *Luc. 1.* pro precatione habentium:

Sit

Sit sanè in honore Maria, sed Pater, Filius, & Spiritus sanctus adoretur, Mariam nemo adoret, (*Epiphan.*)

4. *Quis orabit?* Oravit & Christus, sed in stat. exinanitionis, adeòq; frustrà Arieni ex verbis ejus *Joh. 14.* Pater est major me, ipsius negant Divinitatem. Orare & Deum statuere Judæismus & Alcoranismus, sed impiè. Spiritus sanctus (*Rom. 8.*) dicitur postulare pro nobis, quia facit nos postulare, (*Augustin. libr. 1. cont. Maxim.*) Orat igitur solus homo, orant & Angeli, Deo, scilic. hymnum præcinendo.

5. *Quis orandus?* Pater noster, qui est in cœlis, cujus est potentia & regnum & gloria in secula, *Matth. 6. v. 13.* Et Christus etiam secundùm naturam humanam, (*contra Danæum:*) Hoc corpus in præsepi jacens venerati sunt, & à longinquo veniẽtes cum timore multo Magi adoraverunt, (*Chrysost. 1. Corinth. 10.*) Non

autem adoram⁹ humanitatem, quòd in se adorabilis, sed quod à Deitate susceptа & divinitati unita est, (*Augustinus*). Quis igitur tam demens erit, ut Domino suo ita loquatur, absiste à corpore, ut te adorem, secundùm Deitatem, (*Athanas.*) Papistarum cultus imaginum, sanctorum, etiam demortuorum, Mariæ, & aliorum Invocatio, Adoratio Panis Eucharistici sic cecidit!

6. *Quid orandum?* Quicquid petimus adversus utilitatem salutis, nō petimus in nomine Salvatoris, (*Augustin.*) Petamus *ergò* permanentia, sufficientiæ & vicissitudinis nescia, nihil pendamus præsentia, (*Chrysostom.*) Credite, qui terrena volunt, cœlestia nolunt.

7. *Quomodo orandum?* Orare debemus in spiritu & veritate, *Joh. 4. v. 23.* in fide, si Deo placere debeat oratio, *Roman. 14. v. 23. Hebr. 11. v. 1.* confidentes in DEI misericordia, veri-

veritate, sapientia, voluntate, eaque libera. Non enim statim exaudit ad horam (*Greg.*) imò verò semper exaudit, (*August. Bernhard.*) salubriter negans electis, quod conceditur reprobis, (*Gregor.*)

8. *Quis orationis effectus?* Multiplex certè: *Jac. 5.* Adi sis precantem Mosen, *Exod. 14. & 15. Psal. 78. & 136.* clamanté Josuam, *Jos. 10.* supplicantem Eliam, *2. Reg. 1.* orantem Elisæum, *1. Reg. 6.* cucurrientem Hiskiam, *Esai. 38.* supplicantem Hannam (& Monicam,) *1. Samuel. 2.* genua curvantem Theodosium *apud Nicephorum libr. 14. c. 3.* Quoties oratio languentem me erexit? quoties lætum me dimisit, cùm tristis orare inciperem, *Bernhard.* Ipsi Angeli animam illā honorant, quam cernunt tam familiariter & crebrò ad colloquium divinæ majestatis admitti, *Chrysost.* Oratio est flagellum Diaboli, *August.* Oratio justi est clavis

cœli, ascendit precatio, & descendit DEI miseratio, *Augustin.* & semper Deus majora tribuit, quàm rogatur, *Chrysolog. serm. 95.* liberalitate sua preces nostras transcendit, *Chrysost. in cap. 15. Matth.*

9. *Iccirco* nemo nostrûm fratres parvipendat orationem suam. Dico enim vobis, quòd ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam, postquã progressa est ab ore nostro: ipse scribit eã in libro suo, & unũ in duobus indubitanter sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod novit utilius, *Bernhard. serm. 5. Quadrag. de triplici modo orandi.*

10. Ergóne & precantes providentiam divinam tollimus, ut quidam sensêre Ethnici, *teste Thom. Aquinat.* Ergóne sola precatio medium est impetrandæ æternæ beatitudinis, ut voluerunt, *Messaliani*, dicti Euchitæ? Ergóne precatio ex opere operato est satisfactio pro peccatis, ut au-

tu-

tumant *Romanenſes*? Ergóne orationibus miſſalibus, vigiliis &c. animæ liberantur ex purgatorio, uti volunt *Papiſtæ*? Ergóne precando impetratur donum continentiæ, ut contendunt *Jeſuitæ*? Ergóne impoſſibile fuit præcantibus noſtris majoribus, ut Deus veritatē illis Evangelicam tandiu quaſi ἐν βυθῷ latentem detinuerit, ut obtinere vult *Jeſuita Leſſius*? Negamus omnia!

12. An verò vera eſt ſententia Epicuræorum & Peripteticorum, qui ſtolidè putaverunt *teſte Cicerone lib. 1. de nat. Deor. & Auguſtin. lib. 8. de civitate Dei cap. 14.* Deum preces interris non curare noſtras? an vera opinatio Cretenſium, qui Deum nec videre nec audire terreſtria dixerūt? an vera ſtultitia Tyrorum, qui Deaſtros, imò Diabolos, catenis alligavêre, ne ab ipſis ad hoſtes migrarent *teſte Diodoro Siculo*? an vera impietas Pelagianorum, qui, *Auguſtino teſte*,

destruxerunt orationes Ecclesiæ? An verè conditores Absoluti, ejusq; horrendi, Decreti, orare possunt? Negamus & hoc, & illud & illud.

12. *Quibus Cerimoniis orandum?* abſit omnis gesticulatio, hypocrisis, Palilogia, Battologia Pharisaica, stemus, oculos elevemus (*vide Chrysost. homil. 79 ad popul. Antioch.*) in genua incumbamus, manus cum anima complicemus, vel, si placeat, oculos ad terram reflectamus, pectus percutiamus &c. Sed hæ Ceremoniæ carent certâ lege. Inprimis operam demus, ut simus intenti, jejuni, sobrii, devoti, non cum Pontificiis oremus, sine affectu, *ut Lutherus loquitur*, & intellectu, non moveamur rebus caducis, cogitationibus evãidis: Multis enim modis interrumpitur orationis intentio, dum se per injuriam vana mundi ingerunt in cujuscunq; orationis animo: tùm autem magis Diabolus cogitationes curarum

rum secularium mentibus ingerit, quando orantem inspexit, *Isidorus.*

13. Sed & locus lege caret, non tempus, *vide Johann. 4. 1. Tim. 2.* & de oratione versus Orientem, *Damascen. lib. 4. de orthod. fid.* Si templum Domini sumus, & spiritus Dei habitat in nobis, plus est quod quisq; fidelis habet in anima sua, quàm quòd miratur in cœlo, *Leo Magnus.*

14. *Sonoráne voce, an tacitè, sive intùs est orandum? Equidem,* quod utile est ægroto, magis novit medicus, quàm ægrotus, (*Augustin.*) & qui in silentio orat, fidem defert, & confitetur, quòd Deus scrutator cordis & renis sit, & orationem tuam antè ille audiat, quàm de tuo ore fundatur, *Ambrosius lib. 6. de Sacrament. c. 4.* (& Deus non vocis, sed cordis auditor est, *Cyprian. de Orat. Dominic.*) magnas tamen & multas oratio sonora & publica habet utilitates: Quoniam interdum voce nos ipsos ad

devotionem arctiùs excitamus. *Augustin.*

At at difficilius est orare, quàm arare, & nescimus nos, quid oremus, sicut oportet, *Rom. 8. v. 26.* Itaque tu, ô Domine Jesu, doce nos orare! *Luc. 11. v. 1.*

LOCUS XXV.

DE POENITENTIA.

RESPONDIT

M. NICOLAUS KREUCHOFIUS
Isfeldâ, Francus, Theologiæ Studiosus.

I.

ETiam vera membra Ecclesiæ errare possunt in vita & doctrina: At in errore finaliter non omnia perseverant, piis precibus, *de quibus actum Loc. praced.* sese erigunt, fide in Christũ recolligunt, & seriâ pœnitentiâ ad Deum revertuntur, *Ezech. 33 v. 11. Zach. 1. v. 3. Jerem. 31. v. 19.*

Nam

Nam ex lege Dei peccata agnoscunt, *Rom. 3. v. 20. & 7. v 7.* & ex eadem discunt iram Dei, *Roman. 4. v. 5.* Lex quando in vero suo usu est, nihil aliud facit, quàm quod revelat peccatum, efficit iram, accusat & perterrefacit homines, ut non procul absint à desperatione. Is proprius usus est legis, hîc finem habet, nec amplius progredi debet. Contrà, Evangelium lux est, quæ illuminat, vivificat consolatur & erigit pavidas mentes. Ostendit enim Deum esse propitium peccatoribus, & indignis propter Christum, *Luther.*

2. Unde Pœnitentia apud Hebræos nomen habet à revertendo, vel consolando, apud Græcos à mutatione, μετάνοια, vel μεταμέλεια, à consilio scilicet, quod factum subsequitur. Latinis dicitur pœnitentia à pœnæ metu, Erasmo à pone tenendo, Scoto à pœnæ tenentia: Manutio scribitur per Æ, non per Oe: Nos voca-

vocabulum sumimus in usu Ecclesiastico: & quanquam profani autores inter μετάνοιαν & μεταμέλειαν distinguant, vocestamen hæ in Scripturâ usurpantur promiscuè, ut ex *Matth. 21. v. 29. & 32.* colligitur, ideoque errant qui μεταμέλειαν ad legē, μετάνοιαν ad Evangelium referunt, cum Hemmingio & aliis.

3. *Pœnitentia est hominis peccatoris ex lege Dei contriti per fidem ad Deum conversio, quam sequitur nova obedientia:* quæ nostra definitio convenit cum illa Philippi *in Examin:* Pœnitentia est contritio, fides, & nova obedientia: licet nostra magis sit Logica. Pontificii definiunt per Sacramentum verè ac propriè dictum, *Concil. Trident. 14. Can. 1. Bellarmin. lib. 1. de pœnitent. c. 10.* sed falsò. Nec obstant nobis Apolog. Augustan. Confess. & verba Christi, *Johan. 20. v. 23.* uti æstimat Bellarm.

4. *Efficiens* igitur Causa est, Deus, *mate-*

materialis, cor hominis, *Instrumentalis*, lex & Evangelium, *Impellens*, peccata, & ira Dei: *formalis* peccatoris à viis prævaricationis conversio; *finalis*, Dei gloria & salus hominis: Effectus sive fructus consequens, Nova obedientia.

5. Partes pœnitentiæ propriè sunt duæ, ex August. *Conf. artic. 12.* Contritio & Fides; utramque oppugnat Bellarm. *libr. 1. de pœnit. cap. 19.* sed non expugnat: Contritionem definimus pavorem ortum ab agnitione peccatorum, ex lege Dei, *Esai. 38. v. 13. & 66. v. 2. Psalm. 51. v. 19. 38. v. 9. Psal. 6. v. 3. 4.* Fidem dicimus misericordiæ divinæ fiducialē in Christum ob promissiones Evangelicas apprehensionem ad salutem æternam: atq; hæc est terminus πρὸς ὃν.

6. Omninò ergò necessaria est contritio, *Esa. 30. v. 10. Luc. 15. v. 18.* nec tamen ei tribuimus meritum ac vim, qua delictorum omnium impe-

tre-

tremus veniam, ob quam causa justificationis sit appellanda, cum *Bellarm. lib. 2. cap. 12. Concil. Trident. sess. 14.* & tamen largimur contriti cordis holocaustum non pati repulsam; quoties te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem, cùm intueor flentem, sentio ignoscentem, Cyprian. *in serm. de Cœn. Dom.*

7. Ex his, quæ diximus, varii refelluntur Errores. 1. Novati, qui se hæreseos καθαρῶν ducem constituit ac autorem, teste *Euseb. lib 6. cap. 42.* & fidelibus post Baptismum nullum esse dixit locum pœnitentiæ, etiamsi quæ ad pœnitentiam requirantur, omnia fecissent, ut testantur Dionysius, Alexandrin. *apud Euseb. d. l. 6. c. 42.* Epiphanius, Augustinus, Theodor. Philastrius, alii, quibus autoribus licet gravissimis, contradicit Dn. Strigenicius *in itinere Emauntico concion. 22.* attamen damus Novatianos

nos tempore Ambrosii de rigore nonnihil remisisse, *vide Bellarm. libr. 3. de pœnit. cap. 9.* Notemus hîc Bellarmini impudentiam, qui antiquissimam illam hæresin Novatianorum iterum excitare voluisse clamat B. Lutherum, quando negarit Sacerdotibus veram & judiciariam potestatem peccata remittendi.

8. *Secundò* Pontificiorum 1. pœnitentiam Sacramentum: 2. ejusq; tres partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, (*vide Bellarmin. lib. 1. de pœnitent. c. 15. & Concil. Trident. sess. 14. c. 4. & 5.*) ac 3. Confessionem auricularem jure divino mandatam asse statuentium, opus operatum fingentium 4. Clave ligante & solvente miris & diris modis abutentium. 5. Purgatorium ædificantium &c.

9. *Tertiò* Calvinianorum 1. Confessionem privatam, ut Diaboli inventum rejicientium, quam sententiam.

tiam stolidè,& vel Lutheri autoritate propugnat *Pseudo-Finckius* in Marchia. 2. Pœnitentiam in mortificationem & vivificationē distinguentium, adeoq; nec contritionem nec fidem partes pœnitentiæ esse affirmantium,(*vide Bezam in abster. cal. Heshus. p. 328.*) 3. semel justificatos amittere Spiritum sanctum posse, negantium, qui error est & Anabaptistarum refutantes ex *Matth. 12. v. 43. 44. 2. Pet. 2. v. 20. 21. Apocal. 3. v. 5.* 4. contritionem aliam legalem, aliam Evangelicam esse opinantium Vid. Calvin. *lib. 3. Instit. c. 3. §. 4. 5.*

10. *Quartò* Diabolorum, hoc est, Photinianorum, 1. pœnitentiam à viribus liberi arbitrii esse. 2. Christianum non peccare, sed eo modo implere posse mandata legis & Christi, ut pœnitentiâ non habeat opus. 3. multa peccata ad mortem esse, ob quæ peccatores in gratiam non recipiantur. 4. Peccatum petulanter ad-

admissum sacrificium non habere contendentium.

11. *Quintò* Epicuræorum ac hypocritarum, iram Dei sibi thesaurizantium, pœnitentiam differentiũ, in diem viventium, de venia desperantium, vel simulatâ pœnitentiâ veniam sperantium, ob spem veniæ peccantium, pœnitentiam in foliis aut ramis non in fructu cognoscentium, ut loquar cum Gregorio.

Jhesu fons benignitatis,
Sola spes æternitatis,
Non vis mortem morientum,
Vitam cupis pœnitentum,
Fac nos vivere pœnitentes,
Et peccato morientes
In te mox resurgere,
Ad Cœlos unà pergere.

LOCUS XXVI.

DE MAGISTRATU.

RESPONDIT
PAULUS STÒSSELIUS,
Coburgensis, Francus.

I.

MAgistratus Ecclesiam nutriunt & muniunt, rei gloriæ portas aperiunt, &, quantum ad se contra externas injurias defendunt, Ecclesiæ halcyonia jure præstant, ab hæreticis & schismaticis cavent, piis Ecclesiæ ministris favet. Cur ergò non de illis recto ordine hîc agamus?

2. Magistratus definitur officialis, qui publicum habet imperium, à Bodino *lib. 3. de rep. c. 2. & 3.* à nobis, Potestas divinitùs ordinata, ut custodiantur vera religio, bonæ leges, & pax inter homines, ex *Rom. 13. v. 2. & 4. Joh. 19. v. 11.* adeoq; Tyrannis Magistratus non est, nec obstat his locus Petrinus, *1. Epist. 2. v. 13.*

3. Er-

3. Errant igitur Anabaptistæ, Magistratui in Ecclesia locum non concedentes. Quis enim ordinationem Dei putet malam? Quis à personarum vitiis ad Dei ordinationem extruat consequentiam? Objiciant locum *Gen. 49. v. 10. 1. Sam. 8. v. 6. 7. Ose. 13. v. 11. Luc. 22. v. 25. Matt. 5. v. 38. 39. &c.* nihil obtinebunt.

4. Officium Magistratus duplex est; Ecclesiasticum & Politicum: nec tamen in Ecclesiastico potestatem habet verbum docendi & Sacramenta administrandi, aut vulgatis versiculis fidem faciendi:

Quas quondam pietas nostrorum struxit aborum
Ædes, hæredes devastant more luporum.

5. In officio utroq; potestatem non habet cogendi religionem, hæreticos interficiendi, potestatē non habet leges ferre divinis contrarias, aut iis vel tantillum derogare: Potestatem autem habet exercendi judicia, & exigendi juramenta (contra Anabaptistas) opus misericordiæ ex-

ercendi, hoc est, fures suspendendi, (contra Calvinistas Herborenses:) potestatem instituendi festa, & vel jubilæum, (contra pangentes & plãgentes Jesuitas:) potestatem, certis legibus tolerandi Judæos non autem usuras aut synagogas eorũ permittendi (contra plurimos politicos:) potestatem, Episcopos convocandi, & generales synodos congregandi, potestatem Ecclesias non depuratas ex verbo Dei reformandi; potestatem, ministros Ecclesiæ vocandi; potestatem belli gerendi, (iterum contra Anabaptistas) potestatem vectigalia imponendi &c.

6. Et tamen Magistratus est virga Dei; larva iracundiæ in malos & solatii in bonos & oppressos (*Luth. in 41. Genes.*) & gerere Magistratum est revera pœna quædã, non levis & exigua, sed acerbissima & sævissima contra peccatum originale, ut discam⁹ quanta sit militia homin m, qui

regun-

reguntur à Satana, id quod nemo credit, nec intelligit, nisi magistratus, cui tota vi resistit Diabolus, Luther. *in Genes. 81. 84.*

7. Errant ergò Pontificii. 1. Papæ duos gladios attribuendo. 2. Ipsum supra Imperatorem collocando. 3. Clericos & sacerdotes potestatibus eminentioribus subducendo. 4. Liberos contra parentes incitando. 5. Subditis regem hæreticum interficientibus impunitatem promittendo. 6. Eosdem à juramento præstito absolvendo. 7. hæreticis fidem sanctè datam non servando. 8. Papæ dominatum in clerum concedendo, contra mandatum Petri, *1. Epist. cap. 5. v. 3.* Cujus se Pontifex successorem nominat falsissimè. 9. Clericis ingressum curiæ prohibendo. 10. Luthero, quòd Magistratum abrogaverit, affingendo. 11. Calendarium novum Imperatori, regibus, Principibus sub anathemate obtrudendo. 12. Principes Laicis accensendo.

8. Errant Photiniani, ſtatuentes 1. non eſſe licitum ulli homini adimere vitam. 2. Bellum non poſſe geri à magiſtratu bona conſcientia. 3. Latronem non poſſe quenquã propriæ vitæ conſervandæ ergo interficere, qui error & fuit Manichæorũ, qui etiam eò devenêre dementiæ, ut putarint, nec licitum eſſe pulicem interficere. 4. Chriſtum ſic Deum eſſe, uti Magiſtratus dicuntur Dii, *Pſal. 84. Joh. 10.*

9. Errant Carolſtadiani ac Calviniani, & cum illis Herbonenſes legibus Moſaicis nos iterũ aſtringentes, cùm nec Paulus iis fuerit uſus, *Act. 25. 16. & 22.* errant imagines in templo demolientes cum impetu; errant in adiaphoris, novas Ceremonias introducentes, Lutheranos panifragium, & alios ritus recuſantes, abigentes in exilium; errant, inquã, omnes, qui Cæſari nõ dant, quæ ſunt ejus, & Deo, quæ Dei, *Matth. 22. v. 12.*

10.

10. Omnis qui regit, *inquit Lutherus*, est tanquam signum, in quod omnia jacula Satan & mundus dirigunt. Nos ergò cum Josepho oremus pro salute Pharaonis, cum Judæis pro Nebucadnezaris, cum primitiva Ecclesia pro salute Imperatorum: honoremus Magistratus, & pro Diis illos agnoscamus, propter DEI institutionem, pœnas, finem, conscientiam, necessitatem, (contra Photinianos, & nominatim Goslavium) solvamus tributum etiam Magistratui impio, sic, ut magis obediamus præcepto legis quàm regis: Agnoscamus Romanum Imperium pro quarta Monarchia, quæ est imperiū sine fine, imperium inter omnia alia eminentissimum: Amemus Magistratus, & in nævis eorum non simus lyncei, memores verborum D. Jacobi: In multis labimur omnes, *cap. 3. v. 2.*

Quamvis cuncta notes, quæ lustrat signa Bootes,
Non reperire potes, quem sine labe notes.

LOCUS XXVII.

DE CONJUGIO.

RESPONDIT

GEORGIUS Haubenschmid / Rhotagensis, Francus.

I.

SIcut Magistratus Ecclesiam nutriunt, muniunt, protegunt; ita eandem auget Conjugium, quod (*denominatum* ab unius jugi consortio) definimus conjunctionem unius maris & fœminæ in unam carnẽ, ut soboles procreetur, & mutuum præstetur adjutorium, ex *Genes. 2. v. 24. Matth. 14. v. 6. & 19. v. 5. 1. Cor. 7.*

2. Errant igitur circa conjugii *causam efficientem summam* (quæ Deus est;) & proximam, (quæ contrahentium legitimus, & liber consensus est,) 1. Nicolaitæ, Tatiani, Encratitæ, &c. damnantes nuptias, *1. Tim. 3. v. 3.* à quorum errore vix uno digito absunt

sunt Papistæ. 2. Illi hæretici, qui disputant conjugium institutum esse in pœnam peccati, & ad vitandam fornicationem, *contra Genes. 1. v. 28. & 2. v. 18.* 3. Papistæ, qui contra dictum *Gen. 1. v. 28.* negant conjugium esse omnium: In qua negatione si persistant, nos ex eodem dicto facilè ostendemus, ipsos nõ esse homines. Vide multa, eaq; præclara apud Dn. D. Harprechtum *in tit. de nuptiis.* 4. Qui ludendo, *(vide Cypræum pag. 77)* illegitimè vel sine recto, vel parentum consensu matrimonium contrahunt, contra Bellarminum *libr. 1. de sacr. matr. c. 20.* asserentem, etiam illud conjugium, quod invitis parentibus initur, Deum habere autorem, id quod vel jus civile refellit, *l. nuptiæ ff. de ritu nuptiar. & l. 1. & 2. C. de nupt. & in Instit. lib. 1. tit. de nuptiis, §. justas autem* &c. 5. Errant parentes liberos cogentes.

3. Errant circa *materiam*, (quæ

sunt unus mas,& una fœmina,) 1. Ochinus, &.omnes Patroni polygamiæ: ubi tamen non imus inficias Abrahamum, Jacobum, Davidem, Salomonem, & alios pios, bona cum conscientia fuisse polygamos, *contra Bezam.* 2. Pellicatum, bestialitatem, Sodomiam probantes, contra impuros Papistas. 3. Papistæ, cœlibatum laudando, virginitatem vovendo, ei meritum vitæ æternæ attribuendo, Clericis, quos sic perperam vocant, conjugium honestum prohibendo, ac interim concubinatum,& nescio quæ ἀῤῥητὰ, cum Adamitis & Anabaptistis concedendo, secũdas nuptias damnando. 4. Bellarminus *lib. 1. de clericis c. 24.* bigamos etiam illos censendo, qui unam uxorem habuerunt, sed viduam, vel alio modo corruptam. Confer hic *Levit. 21. v. 13. & Ezech. 44. v. 22.*

4. Errant circa *formam conjugii*, (quæ est obligatio unius maris, & unius

nius fœminæ legitima in unam carnem ex Matth. *cap. 19. v. 6.*) Papistæ, ex conjugio Sacramentum facientes. 2. Illi qui inter Sponsum & sponsam matrimonium esse negant. 3. Bellarminus, spiritualem cogitationem inter impedimenta conjugii referens, *lib. 1. de matrim. sacram. c. 28. 29.* & matrimonium inter fidelem & infidelem esse non posse statuens, *d. l. c. 23.* Idem cum Bell. vult P. Martyr. *in lib. 1. Reg. c. 3.*

5. *Finis* Conjugii, juxta Augustinum *lib. 9. de Genes. ad liter. c. 7. & lib. 2. contra Pelag. c. 34.* & Lombardum *lib 4. distinct. 31. sect. 1.* sunt bonum fidei, prolis, & Sacramenti: Contra quem variè errant 1. omnes cœlibes, monachi, moniales, frustrà ad *cap. 7. 1. Cor.* provocantes: *vide Lutherum in Epithalamio, & in libro, cui titulus,* Vom falsch genandten stand der Geistlichen: Errant 2. qui naturæ vim inferunt: Errant 3. qui ob exsatiandam

dam libidinem uxoribus nubunt, easq; more Italorum, pro thesauris custodiunt; Conjugium enim bonum non est fervor concupiscentiæ, sed quidam licitus & honestus illo fervore utendi modus, propagandæ proli, non expectandæ libidini accommodatus: Voluntas ista, non voluptas ista nuptialis est, *Augustin. lib. 1. de pecc. merit.* Errant 4. decrepiti senes, finem conjugii principalem non attendentes, quibus olim, teste Mathesio, in valle Joachimicâ inter copulandum non fuit pronunciata benedictio. Nec enim prorsus malè cecinit Poëta: *Turpe senex miles, turpe senilis amor.* Errant 5. conjugio nunc has nunc illas calamitates adscribentes, ac de eo cynicè loquētes: Errant 6. monachi, per circuitus scorta ducentes, & contrà ob gravidarum matronarum progressum, pavimentum scopis verrentes: Errat 6. Beza, Diabolum baptizantem, mul-

millies baptizanti fœminæ necessitatis in casu prælocans. De conjugii effectis, videatur *Cypræus p. 697. & Alb. Gent. lib. 2. cap. 19. de nuptiis.*

6. Sed quæras 1. quid statuamus de gradibus prohibitis *Levit. 18. v. 6. & seqq. usq; ad 19. & 20. v. 11. & seqq. usq; ad 21.* R. Juris sunt naturalis, & legis moralis, contra Bellarm. *libr. 1. de sacr. matrim. c. 27. & seqq.*

7. Si quæras, quid sentiamus de gradibus prohibitis consanguinitatis? Respondeat pro nobis Justinianus *lib. 1. Instit. tit. 10.* Inter eas personas, quæ parentũ liberorumq; locũ inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt, &c. vid. *Tiraquell. in l. connub. 7.*

8. Pergas quærere, 1. an matrimonia ab ebriis sive ebriosis contracta sint ratihabenda? Negatur: vide Albericum Gentilem *pag. 299. 2.* An etiam fatuorum & furiosorum? Negatur, quia vitæ cultum, & officiorũ me-

mediocritatem tueri non possunt, teste *Cicer. in 3. Tuscul.* 3. An surdorum & mutorum? conceditur non sine distinctione.

9. Nec finis! quid statuendum de iis, qui gemina contrahunt sponsalia? De jure fit infamis, qui gemina contrahit sponsalia, Beust. *de jure connub. part. 1. c. 15.*

10. Quid de divortio? Est id matrimonii consummati propter alterius conjugis adulterium aut malitiosam desertionem dissolutio: ubi errant, qui putant nec per mortem matrimoniale solvi vinculum: Errat Bellarminus, existimans *libr. 1. c. 14.* Apostolum jubere eam manere innuptam, quæ propter fornicationem sive adulterium discesserit à marito: Errant Papistæ, has divortii causas recensentes:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Vide

Vide Bellarmin. *lib. 1. de S. M. c. 18.* Identidem errant Judæi *repudiantes*, & Papa contra legem divinam *dispensans*.

II. Et sic quoque brevissimè de Conjugio, quod non erit, quando facti sumus ἰσάγγελοι: Finis enim mundi affuturus est, cùm cessaverit opus mulieris, quod apophthegma Salomes, recitat Clemens Alexandrinus: Ut autem ad finem præparemur, in sequentibus positionibus meditabimur novissima, Deumque devotè precabimur, ut ex Ecclesia militante, tandem nos traducat in triumphantem, ubi nec maculam habituri sumus, nec rugas, *Ephes. 5. v. 27.*

LOCUS

LOCUS XXIIX.

DE QVATUOR NOVISSIMIS.

RESPONDIT
JUSTINUS ZINZERLING,
Sonneborn. Thur.

I.

IN omnibus quæ dices, quæque facies, memento noviſsimorum tuorum, & in æternum non peccabis, *inquit Syracid. cap. 7. v. 40.* & rurſus, memento noviſſimorum, & inimicitias depone, *cap. 28. v. 6.* & iterum: ne dedas animum triſtitiæ, ſed repelle eam memor noviſſimorum, *cap. 38. v. 21.*

2. Talia noviſſima pia vetuſtas conſtituit quatuor, *Mortem, judicium infernum, vitam æternam.*

3. *Mors* etiam ſaxis arboribusq; venit, *ſecundum Poëtam*: nos cum A. Gellio definimus ἀπόλυσιν animæ à cor-

corpore, eamq; primo homini ante lapsum fuisse naturalem, negamus contra Bellarminum *lib. 1. de gratia primi hominis cap. 6.* Interim facilè omnia contemnet, qui se moriturum cogitat, Hieronym. *in Epist. ad Paulin.*

4. *Judicium* est omnium dictorum factorumq; ἐξεταστικὸν, ejus processus describitur *Matth. 25.* judex erit Christus, quia filius hominis est, *Johan. 5. v. 22. & 27. Actor. 17. v. 31.* ideoq; omniscium eum esse oportet, quod negant Calviniani: Judicandi erunt omnes omninò homines, & tamen pii in judicium non venient, *Johan. 5. v. 24. Sap. 5. v. 1.* Norma judicii erit sermo Christi, *Johan. 3. v. 18. & cap. 12. v. 48. Rom. 2. vers. 16.* nec obstat, quod Christus *Matth. 25. v. 35.* piorum bona deprædicat opera. Cessabit tunc misericordia, & habebit locum justitia, *contra Origenistas & Liberatores.*

5. *Infernus* est horribilis, ineffabilis, ac sempiternus damnatorum cruciatus, ortus à pavore iræ DEI contra peccata, & carentiâ conspectus ejus: Omnia gehennæ supplicia superabit Deum non videre, & bonis carere, quæ in potestate habuisti, ut obtineres, *Bernh.*

6. Erunt tamen cruciatuum in anima & corpore gradus, ut patet ex *Matth. 11. v. 1. & cap. 23. v. 14. Luc. 12 v. 47. Sap. 6. v. 6.* tantò gravior singulis pœna, quantò graviùs quisque peccavit, Augustin. *libr. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 12.* Non autem sinet in gehennam incidere, gehennæ meminisse, *Chrysostom.*

7. Errant ergò Seleuciani & Hermiani, ajentes, hunc mundum esse infernum. 2. Basilidiani, pœnas in hac vita tantùm esse pronunciantes. 3. Armeni, negantes pœnas fore æternas. 4. Jovinianistæ, qui dixerunt, omnes peccatores fore pares

res in peccatis & pœnis. 5. Papistæ, præter duplicem limbum Purgatorii ac suffragia pro defunctis fingentes. 6. Calvinistæ, scribentes 1. Deum autorem esse peccati. 2. Deum fecisse simplex a q; absolutum decretum, quippe non aliunde, nisi ab ipso Dei beneplacito dependens.

8. *Vita æterna* est, ubi erit sine fine felicitas, August. *lib. 6. de Civitate Dei c. 12.* ubi finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, *Idem cap. ult libb. de Civit. Dei.* Attamen facilius possumus dicere, quid non sit in vita illa æterna, quàm quid ibi sit: non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla molestia, nulla tristitia, August. *lib. 3. de Symb. cap. 11.*

9. Rectè tamen vel Christus dicitur

citur vita æterna, *1. Johann. 5. v. 20.* rectè Lutherus dixit, fidem nihil aliud esse, nisi vitam veram in ipso DEO, *tom. 4. in Genes.* Qui enim fidem habet, habet vitam æternam: qui vitam habet, non est excluſus à venia, Ambroſius *libr. de pœnitent. c. 10.*

10. Itaque vitam æternam, id est, sine ullo fine felicem, solus ille dat, qui dat veram felicitatem, *Augustin. l. 6. de Civ. Dei. c. 12.* Est enim opus ad extra, *Johann. 5. v. 21. & 26. 1. Johann. 5. v. 11. Roman. 8. v. 11.* & datur omnibus in fide perseverantibus, *Matth. 20. v. 12. Johann 3. v. 15. 36.* datur non ex prævisione operum, sed ex mera DEI misericordia, *Rom. 6. v. 23. Jud. 2. v. 21. Luc. 12. v. 32.* & tamen rectè à Petro nominatur merces fidei, *1. Epist. 1. v. 9.* datur hîc in spe, illic in re, datur hîc in fidendo, illic in vivendo. Una salus communis erit, sed gloria dispar,

Da-

Daniel. 12. vers. 3. Roman. 2. v. 6. 1. Cor. 15. v. 41.

11. Hinc refutantur errores 1. Irrisorum, *1. Petr. 3. v. 3. 4.* 2. Chiliastarum somniantium, sanctorum potentiam & gloriam post resurrectionem mille annis in terris esse duraturam, *teste Philastrio.* 2. Æternalium, mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu, quo nunc esse mansurum, neq; ita mutandum esse, ut sit cœlum novum, & terra nova autumantium. 3. Pelagianorum, parvulis, quos sine ullo peccati Originalis vinculo nasci dicunt, etiamsi non baptizentur, promittentium extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quandam vitam suam. 4. Pepuzianorum, qui Pepuzam (locum superioris Phrygiæ) dixerunt cœlestem Hierusalem. 5. Et sic etiam stoliditas Jesuitarum, qui nos hujus hæreseos reos agunt, quòd Witebergã

habeamus pro civitate sancta, &c. cum rectiùs rei agantur ipsi, ob tot vulpinas prædicationes urbis Romæ; 6. Pontificiorum omnium. 1. de consecutione vitæ æternæ dubitantium. 2. ejus spem in meritis collocantium. 3. eam à Maria semper-Virgine impetrari posse, sibi persuadentium. 4. alios aliis fore beatiores scribentium. 5. aureolas laureolas Doctorum, Martyrum, viduarum, virginum comminiscentium. 6. Virginibus fructum centesimum, conjugatis trigesimum, viduis sexagesimum conferentium; ex malè applicata Parabola Christi, *Luc. 8.* Monachorum, vitam æternam & perfectitudinem in fatuis suis votis quærentium. 7. Cinglianorum, 1. Herculem, Theseum, Antigonum &c. invitam æternam elevantium. 2. nos qui statuimus electionem in fide factam, Pelagianismi accusantium. 8. Mahometistarum & Cerinthianorum,

rum, vitam æternam per voluptates pecuinas d finientium. 9 Philosophorum summum bonum sive beatitudinem in aliquo bono creato collocantium, de quorum variis opinionibus, dicimus cum Augustino *libr. 19. de Civ. Dei c. 4. ex Psalm. 93. 1. Cor. 3.* Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.

12. Tu Domine Jhesu,
Inter oves locum præsta,
Et ab hædis nos sequestra,
Statuens nos parte dextra.
Confutatis maledictis
Flammis acribus addictis
Voca nos cum benedictis,
Ut consortes beatitatis,
Vivamus cum justificatis,
in ævum æternitatis, Amen.

FINIS.

æminæ neceſſi-
ns. De conjugii
æus p. 697. & Alb.
nuptiis.
quid ſtatuamus
is Levit. 18. v. 6.
20. v. 11. & ſeqq.
unt naturalis, &
Bellarm. libr. 1.
& ſeqq.
d ſentiamus de
conſanguinita-
nobis Juſtinia-
Inter eas perſo-
erorumq; locũ
ontrahi nuptiæ
d. Tiraquell. in l.

;1. an matrimo-
ioſis contracta
egatur: vide Al-
pag. 299. 2. An
urioſorum? Ne-
:um, & officiorũ
me-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0337
Patch Reference numbers on UTT
the scale towards document